Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Liber IV. De Idololatria.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER IV.

DE IDOLOLATRIA.

CAP. I.

De Initio (1) Idololatriæ.

1. INfinitas Divinæ Majeſtatis tantùm ſuperat & excedit comprehenſionem creaturarum, ut, niſi conſulatur Divini oraculum Verbi, etiamſi perceptio Deitatis indita ſit ipſius Athei cordi, is tamen loco juſti de Deo conceptûs Creaturam pro Creatore adoraturus ſit,

(1) Hîc operæ pretium erit, ſi altiùs adſcendimus, & originem idololatriæ petimus, ut, quomodo illa proſerpſerit, oſtendamus. Negari non poteſt omnis mali lernam & fontem eſſe lapſum Adami. Lapſus autem ille fieri potuit ex eo, quòd ipſius hominis voluntas ſe in infinitum extendat, cùm intellectus ejus multò curtior ſit. Sic

sit. Et licèt is Deorum suorum numerum multitudine stellarum cœli mensus fuerit, & copiis reptilium humi, hæsitabit tamen, num adoret colat.

Sic ut illa facilè hujus terminos excedere potuerit. Ergo sic lapsus Adamus deflexit ad proprias ratiocinationes, & penitùs corruptus est, ut & justitiam originalem & cognitionem infallibilem &c. amiserit, nec potuerit gignere non similes filios, qui quoque in suis ratiocinationibus postmodùm ducti sunt vel sensibus, vel affectibus, vel ratione cæcâ. At, quum per solum Dei verbum, & *Filium*, rectè duci potuerint, omnes necesse fuit aberrâsse, qui eo caruerunt; nam omnes errores post hunc Adami lapsum fluunt ex carentia λόγου θεοῦ, ex ejus neglectu & contemptu. *Neglectus* autem & *contemptus*, cum *philautia* & cæca *Ratione*, pepererunt & pariunt perpetuò *Atheismum*, *Idololatriam*, *Hæreses* & schismata, quin Indurationem cordis & *Impietatem*. Nam, cùm noster intellectᵘ post lapsum ἀγνωσίᾳ laboret, non prælucente Divini Verbi face, ruitur in errorum Oceanum, præsertim circa spiritualia & divina, quæ comparat homo naturalis corporalibus aut planè negat & ridet. Hocque accidit facilè inde. 1. Quia mens tam arctè alligata est corpori, & sensibus annexa, ut sit difficile eam ab his abstrahere. 2. Quia ea non deponit præjudicia capta in infantia. 3. Quia per passiones, animam distrahentes, judicium turbatur. *Atheïsmus* propriè viguit ætatibus antediluvianis, nam S. Scriptura non ait idola culta fuisse ante diluvium, nec credibile est, *Idololatras* crassos tum fuisse, quia Patriarchæ adeo μακρόβιοι erant, ut sine dubio semper ore tenus suis filiis mirabilia Dei retulerint, & Deum esse in cœlis, ἀόρατον, quique sit Spiritus, asseverârint. Sed palpabile est, tum cœptum esse idola coli, postquam discordia dispersisset gentes, & propter dispersionem didicissent diversis loqui linguis, ut non possent & etiam nollent ex odio eos consulere, penes quos vera Dei & Hebraïcæ linguæ notitia permansit. Sic declinatum ad duplicem *Idololatriam*, internam & externam. Interna sic processit; post lapsum Adami singuli hominum mersi

colatque verum Deum, imò numne verus Deus penitùs ἄγνωστος *ignotus* sit. Et hâc ratione nautæ in navi Jonæ *invocabant quisque Deum suum Jon.* I. 5.

Et

mersi sunt amore mundanorum, ut in iis fiduciam & delectationem suam collocent; cur? ex amore corporis, ut ita satisfaciant voluptatibus ejus. Sic homo corruptâ ratione nîl nisi corporeum apprehendens, ventremque Deum faciens, ita abripitur, ut putet Deum esse quoque corporeum, ut qui aliàs ejusmodi deliciis frui nequiret. Hinc Deo assignat corpus, vel etiam inde, quòd corpus suum, illud voluptatum organon, vehementer amet, & quia Deum amat, nesciat, quid majus tribuat ei, quàm ejusmodi dulce organon. Accedit, quòd putet, nihil esse in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu. Et hinc Gentiles suis Diis corpora, affectus, & proinde inebriationes, adulteria, &c. adscripsêre. Postmodùm talis homo naturalis in se, animam causam tot rationabiliter rerum gestarum deprehendens, facilè concludit tales substantias posse sine corpore existere, & sic veneratur Angelos. Præterea in aliis res majori cum perspicacitate inventas, majori cum gloria gestas videns, in Deorum numerum refert rerum *Inventores*, *Heroas*, *Beneficos*, *Legislatores*, *Reges*, *doctos*, *pulcros*; sic repertorem instrumentorum *Tubalcainum* pro Deo *Vulcano*, *Noachum* vinearum cultorum pro *Baccho*, pro *Jano*, *Neptunoque* coluit Gentilitas. Ex ista corrupta Dei idea conversus est Deus in idolum ab homine naturali; qui tandem, quum videret istum Deum corporeum non posse omnia, atque talem esse, cui salutem omnem tutò committere non possit, socios ei addidit, ut ita plures mundi ministerio sufficere possent. Sic introductâ πολυθεΐα, homo non contentus ejusmodi concepisse Deum, (seu Deos,) quum illo præsenti gaudere vellet, prolapsus est in externam *Idololatriam*, quâ Deos istos manu & opere expressit, quales mente conceperat. Si autem gentes quædam non efformârunt idola, veluti nostri antiqui majores

Et forsan, quum se omnes verum Deum præterire & non adorare timerent, excitant Jonam, ut suo reddat quoque vota Deo.

II. Hæc incertitudo circa *Idololatriam* jussit Gentes stipare preces suas hâc generali formulâ: *Dii Deæque omnes &c. Virg. Georg.* I. *vs.* 21. Arabes, suorum *notorum Deorum* insufficientiam advertentes, consecrant suâ altaria *Ignoto Deo. Gyrald. Syntagm.* 17. Paulus Athenis invenit altare ejusdem inscriptionis. *Act.* XVII. 23. Hinc vicinæ quædam terræ sic jurabant: Νὴ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον, *Per Ignotum Athenis!* *Lucianus in Philopatride.*

III. Ab hac dubitatione & incertitudine Atheniensium, *quis & quid Deus sit*, alia nata est incertitudo inter ipsos æque damnosa ac prior, dividens individuam Deitatis unitatem inter, nescio quos, socios & compares. Habent enim Alta-

jores fecerunt, uti supra est ostensum, noluerunt que Deos parietibus cohibere, credo, quod id non fecerint, quia infinitatem Dei conceperunt, sed quia nesciverunt Θεοῦ ἀορίστου formam, & noluerunt ei aliquam temere assignare, dum nesciverunt, utrùm Deorum corpora majora sint, quàm ut humanâ manu factis templis cohiberi possint, annon. His de rebus publicæ luci datus est insignis liber Cel. *Heidani de Orig. errorum.* Ut autem ante Diluvium viguisse videtur *Atheismus*, & post Diluvium *Idololatria*; Sic nunc vivunt præprimis *Hæresis* & *Impietas*, duæ *Antichristianismi* filiæ, quamobrem? Homines sunt φίλαυτοι, φιλήδονοι, & φιλόθεοι, sensibus & Ratione duce & Interprete, non autem verbo ἐνδιαθέτῳ utentes. Nolim verò putes, *Atheismum* & *Idololatriam* à nobis nunc exulare. Nequaquam; Sed caput obnuptæ *Hypocrisi*, Christianismum mentiuntur.

Landesbibliothek Oldenburg

Altaria, quæ docent multitudinem & pluralitatem Deorum, hâc inscriptione: Θεῶν ἀγνώστων *Deorum Ignotorum.* Imò plena & tota inscriptio istius altaris, quod vidit Paulus, censetur hæc fuisse: Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. *Diis Asiæ & Europæ & Libyæ, Deo ignoto & peregrino. Theophyl. in Act.* XVII. 23. item *Hieron. Tit.* I. 12. Quæ observatio ostendit, ipsorum praxin convenisse cum aliorum Gentilium formula precatoria: *Dii Deæque omnes.*

IV. Hanc diffidentiam credo esse præcipuam rationem, cur coluerint (†*) Θεὸν ἄγνωστον *Deum ignotum*; non tamen negabo, altaria potuisse tales inscriptiones gestare, ut tegeretur nomen *Deum tutelarium*, quorum custodiæ se dederant;

Y quia

(†*) Non est cõnvitio vertendum, ubi quidam scripsêre, Christianorum nostrorum in omni statu & ordine plurimos colere *Deum ignotum.* Præterquam enim quòd Deus in æternum captu nostro exhauriri non possit, Deusque maneat אֵל מִסְתַּתֵּר *Deus sese occultans, Esa.* XLV. 15. & prudentiam ac rationem prudentissimorum eludens, & *lux inaccessibilis*, de quo plus semper ignoratur quàm scitur, etiam falsas de eo ideas formant omnes, qui alienati sunt ab ejus viis & vita & præcepta ejus non amant. Deus enim non cognoscitur sine Deo, uti nec sol sine sole. Opus ergò est, ut si verè nosse & scire quid de ipso velis, is Tibi notum faxit, & suâ luce Te illuminet. Quod quùm plurimis non contingat, hinc disceptant de Deo ipso, de ipsius Attributis, de Trina unitatis differentia, de viis, decretis, verbo, operatione, generatione &c. &c. Adeò ut nihil ignotius sit Deo, hodiernis Christianis.

Landesbibliothek Oldenburg

quia Gentes pleræque putant, quòd, si nomen Deorum istorum, quibus urbem consecraverunt, evulgetur, hostes eum Deum carminibus aut incantationibus evocare & urbe elicere possint. *Alex. ab Alex. l. 6. c. 4. Tyraquell. in istum locum.* Ut autem istiusmodi incantationis & evocationis vim eluderent *Tyrii*, *Lacedæmones*, & aliæ nationes suos Deos devinxerunt, catenisque detinuerunt, ne emigrare possent. *Macrob. Saturn. l. 3. c. 9.*

V. Rursùs fieri id potuit ex eo, quòd Gentes imitarentur Judæos, qui circa tempus nativitatis nostri Salvatoris illicitum censuerunt, (*) essentiale Dei nomen יְהוָה *Jehova* eloqui, cujus loco lege-

(*) Absque dubio, hoc nomen יְהוָה mysteriis abundat. *Primò* enim indicat Deum solum propriè *esse*, seu *Essentiam* habere à se ipso, h. e. merè vivere, operari, agere, & ut perennem fontem ac solem ab æterno in æternum effluere, & vitam ac essentiam dare omnibus, quæ sunt, quæque potius non esse, quàm esse dicunda sunt. *Secundò* indicat tribus syllabis triplicem temporis differentiam; semper enim dici potest, *quòd sit*, quod *fuerit*, quod *futurus* sit, *Apoc.* I. 4. futurus semper is, qui est in sese, & qui fuit olim. *Tertiò* indicat omnes *Virtutes* esse in Deo, & omnem creaturarum vitam & animam, dulcorem, pulchritudinem, amabilitatem, ordinem, transiisse ab ipso in illas; uti omnium literarum animæ & vita in hoc nomine inveniuntur, scil. *a. e. i. o. u.* & præter eas nihil invenitur. *Quartò* indicat *unitatem* Essentiæ Divinæ, non enim habet pluralem, uti vocabulum אלהים *pluralitatem* Differentiarum Essentialium, sive *personarum*, ut vulgò loquimur. Vide *plura Lib. 4. cap. 8. §. 8. 9.*

Landesbibliothek Oldenburg

legerunt אֲדֹנָי *Adonai*. Occasio hujus occultationis nominis *Jehova*, ut puto, fuit, ne Gentes hoc sacrosanctum nomen profanarent, quæ jam didicerant ab isto nomine sua idola denominare *Jove*, Ἰάω, *Jaoth*, Ἰαώθ &c. *Macrob. Saturn. l.* I. *c.* 18. (†*)

VI. Ex eo tempore hoc nomen tantâ superstitione involutum est, ut Judæi, quo illud nomen occultent, textum corrumpant; *Exod.* III. 15. *Hoc est nomen meum* לְעֹלָם *in seculum*, legunt (2)

(†*) Neque tantum à nomine *Jehova* Gentes suis Idolis nomina indidêre, sed & à cæteris Dei nominibus. Forsan post linguarum confusionem in memoria qualitercunque retinuerunt. Sic ab אל & עליון Deus *fortis* & altissimus formarunt ἥλιον, & ab אדוני venit *Adonis*, & *Jovis Sabasii* nomen à *Jehova Sabaoth* &c.

(2) Hîc notandum tempore Christi non planè desiisse vocari hoc nomen יְהוָה, sed usurpatum esse circumspectè apud homines verecundiores & modestiores ex genere Sacerdotali, & quidem non extra Sanctuarium, h. e. Hierosolymam. In provinciis autem id simpliciter non dixerunt, nec ad quosvis Hierosolymæ, sed per אֲדֹנָי expresserunt. Hinc quando in Sanhedrin dicitur; *Quicunque profert nomen tetragrammaton per literas suas, vel secundùm Scripturam suam, non est ipsi pars in futuro seculo*, Scholiastes ad hunc Aphorismum notat: Quicunque profert, scil. extra sanctuarium, non autem in sanctuario, nam Sacerdotes in sanctuario benedicebant populo per nomen istud. Vid. *Buxt. rad.* הוה. Non est autem mirum,

illi לעלם *ab abscondendum. P. Galat. t. 2. cap. 10.*

Quamvis non diffitear, quòd hoc nomen quadantenùs ἀνεκφώνητον sit, nempè, quemadmodum *Plinius* ait *procem. l. 5. Hist. Nat. nomina populorum oppidorumque Africæ vel maximè sunt ineffabilia*, h. e. ita constituta, ut aliæ linguæ ea nequeant reddere & exprimere absque περιφράσει.

VII. Sicuti præmissa nomina, idolis data, nihil aliud erant, quam tot profanationes divini nominis *Jehova*; ita origo & fons tot insequentium generum *Idololatriæ* exstitit (†) ex abusu & detorsione S. Scripturæ. Vid. *Cap.* VIII. §. 1.

VIII. Acceperant Gentes per traditionem *Solem* & *Lunam* & *Stellas* speciem quandam dominii atque regiminis habere in dies, noctes, tempora; hinc

rum, si in hac re & suppressione hujus nominis gens Judæa superstitionem prodit, sed mirum est, quòd multi viri docti vereantur id nomen pronunciare, cùm tamen Veteres non sint veriti nomini suo particulas huic nomini decerptas apponere. Vid. 2. *Chron.* III. 24.

(†) Præprimis verò omnis erroris fons est Mentis & Rationis perversitas, indicante id ipsum Spiritu S. *Cave ne Te cor tuum decipiat, & avertat Te ad Deos alienos. Deut.* II. 6. *Propterea cùm Deum nossent, tanquam Deum non glorificarunt, nec precati sunt, sed vani redditi in ratiociniis suis sunt, & cor ipsorum inadvertens obtenebratum est. Rom.* I. 21. &c. Quæ perversitas *Jobo* dicitur *seductio cordis: Si vidi solem, quando splendebat, & Lunam honorificè incedentem, & seduxit sese in abscondito cor meum, & osculatum est manum os meum, etiam hoc fuisset iniquitas judicata, quia abnegassem Deum desuper. Cap.* 30, 26. 27.

Landesbibliothek Oldenburg

hinc factum, ut eadem sydera in Deos verterint, divinumque iis cultum dederint. Deinde invalescente corruptione, ipsorum Ἀποθέωσις *Relatio inter Deos* descendit ad creaturas sublunares; partim tanquam ad symbola & expressa signa magnorum istorum & præstantium luminarium. Ob hanc rationem adorant Chaldæi *ignem* אור; & *Ur Chaldæorum*, *Genes.* XI. notat *ignem* & *lumen*, putaturque fuisse Deus Chaldæorum, etsi l. c. nomen *Ur* tribuatur insigni urbi, ejusdem cum Idolo nominis. (†) Imò *Deus Nachoris* אלהי נחור non creditur alius fuisse, quàm אור. Partim etiam, quòd creaturæ sublunares canonizabantur seu pro diis habebantur, tanquam res, queis gratiarum actio deberetur, si quid beneficii hominibus contulissent. Quâ ratione, *Mare*, *Venti*, *Æther*, *Terra*, *Fructusque Terræ*, Deorum nomini-

(†) Quùm in igne divini quid observarint gentes & præprimis *Chaldæi* ac *Persæ*, hinc ut Deum coluêre, & in bellum euntes, secum tulêre. Lucet enim, alit, fovet, recreat, mundat & sordes absumit. Mera vita est, merus motus. Quid verò sit, quæve motûs causa propria, quis doceat? Certè igne privare, est vitâ privare. Hinc quibus patriâ interdicebatur, aquâ & igne interdicebatur. Hinc & Deus dicitur *Ignis* & quidem æque *absumens*, ac lucens alens ac fovens. Latinis verò dicitur *ignis* quasi *ingenis*, à nascendo, ut ait *Varro*, *quòd hinc nascitur* & gignitur *omne*, *& quod nascitur*, *id igescit*, & calet, *ut qui denascitur*, *ignem amittit ac frigescit*. *Seneca lib.* V. *natural. quæst. cap.* 6. scribit: *Ignis qui omnia consumit, quædam etiam creat, & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur.*

Landesbibliothek Oldenburg

nibus cultibusque honorata sunt. Tandem *Homines benè meriti*, imò *Crocodili*, *Serpentes*, *Glires*, *Feles*, *Canes*, *Cepæ*, & *Allium* divino honore non carebant.

CAP. II.

De Molocho, Adram-Melecho, Anam-Melecho, Baale, Tabernaculo Molechi, Chiun, & Remphan.

I. DE Idolo *Moloch* legimus in diversis Scripturæ locis 1. *Reg.* XI. 5. 7. 2. *Reg.* XXIII. 10. *Levit.* XVIII. 21. Subinde vocatur *Moloch*, subinde *Molech*, subinde *Milcom*. Non tantùm putatur fuisse *Deus Ammonitarum*, sed & *Moabitarum*. *Lorin. in Act.* VII. *ex Oecumen.* Nomen suum ducit à מָלַךְ *regnavit*. LXX. Interpretibus *Molech* vertitur ἄρχων, βασιλεὺς *Princeps*, *Rex*. Ejusmodi *Regia Idola* erant *Adram-Melech*, & *Anam-Melech*, Dii *Sepharvaïm*, in quorum honorem populus suos filios per ignem traducebat. (*)

II. Pu-

(*) A *Molecho* non fuerunt alii *Adramelech* vel *Adrammelech*, & *Anamelech* vel *Anammelech*, quibus incolæ *Sepharvaïm* filios igne combusserunt. 2. *Reg.* XVII. 31. *Adramelech* dicitur qu. אַדִּיר מֶלֶךְ *Rex magnificus*, *illustris*. A quo vocabulo *Hebr.* venit *Æthra*, seu splendor aëris. *Anamelech* verò dicitur qu. עוֹנֶה מֶלֶךְ *Rex respondens*, scil. consultus, vel etiam עָנָו מֶלֶךְ *Rex mansuetus*.

II. Putem ego, *Molechum* & *Baalem* esse unum idemque idolum, quum utriusque nomen *dignitatem* & *imperium* indigitet, voce בַּעַל *Baal Dominum*, voce מֶלֶךְ *Regem* denotante; Eodem quoque Sacrificiorum ritu culti sunt *Molech* & *Baal*. *Ædificârunt celsa Baalis, ad comburendum filios suos igne, holocausta Baali. Jer.* XIX. 5. *Exstruxerunt celsa Baalis, quæ sunt in valle Ben-Hinnon, ad traducendum filios suos & filias suas Molecho. Jer.* XXXII. 35. In quo textu locus sacrificationis utriusque idoli docetur idem esse, & *Molech* ponitur in fine versûs, ad exprimendum & exponendum *Baalem* in principio positum.

III. Sunt, qui putant ista idola fuisse diversa, quia planeta *Jupiter* colebatur nomine *Baalis*, & planeta *Saturnus* (1) verisimiliter nomine *Molechi*.

(1) Hæc ita concilio, scil. non intelligendi sunt planetæ *Jovis* & *Saturni*, sed ipsa Idola & Dii, quos sub hoc nomine coluerunt Gentes, quorum uterque *Solem* Gentibus denotavit. Nam, ut superiùs diximus, ferè omnes Gentium Dii, *Mercurius*, *Jupiter*, *Saturnus*, *Vulcanus*, *Mars*, *Ammon Libyus*, *Belus Euphratis*, *Apis*, *Phaëthon*, *Apollo*, *Mithra*, &c. nîl nisi *Solem* denotârunt, quem Phœnicii cumprimis, μόνον οὐρανῷ Θεόν putabant. Hinc facile intelligas, quare Assyrios *Cedrenus* memoret *Martem* nomine *Baalis* coluisse, dicens; ὡς θεὸν προσκυνοῦσι, Βαὰλ ὀνομάζοντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἄρης, πολέμων Θεός. Ergo quando *Saturnus* nomine *Molechi* & *Jupiter* nomine *Baalis* culti sunt, non sunt culti tanquam planetæ, sed tanquam *Sol* diverso sub nomimine. Potest quidem esse, ut Gentes planetam *Jovem* dixerint *Baalem*, &c. Sed hoc fecerunt ex eo, quia idolum

August. super Judic. q. 16. Vide sis Euseb. de præparat. Ev. l. 1. c. 7. Quando attentè consulimus Historias, inveniemus tantam Planetarum confusionem, ut *Sol*, quemadmodum sæpè *Baal*, sæpè *Molech* appellatur, sic etiam subinde vocetur *Jupiter*, subinde *Saturnus*. *Plato apud Macrob. Satur. l. 1. c. 23.* ubi mendosè citatur è *Timæo Platonis*, quod est in *Phædro*. *Servius in Æneid. l.* qui ait: *Assyrios Saturnum (quem & Solem dicunt) Junonemque coluisse constat.*

IV. Quod attinet (†) *Baalem*, res in aprico est. Hinc Phœnices *Jovem* nominant *Beel-Samen*; quod

lum *Jovis* dicitur *Baal*, *Jupiter* autem dictus est *Sol*, quia, sicut dicuntur *omnia Jovis plena*, sic *Sol* omnes mundi angulos videtur suis collustrare radiis, & omnia uno momento complere. *Saturnus* autem dicitur *Sol*, quia sicut is falce suâ cuncta demetit, sic *Sol*, h. e. in orbem acti anni omnia absumunt. Hinc *Saturnus* notat *tempus*, *annos*, *dies*, pro quibus Poëtæ sæpè adhibent vocabulum *Solis*, ut Virg. Æneïd. 3. vers. 203.

Tres adeo incertos cœcâ caligine Soles
Erramus pelago.

(†) Nomine *Baal* & *Molech* primitus Summum omnium rerum Dominum, & Rectorem, designatum fuisse meritò sentias. Deinde, ut fit corruptis moribus & in superstitionem pronis, ubi Dei cognitio amittitur, solem illum Mundi oculum, & reliquorum Astrorum Regem, ut Deum venerari cœperunt cœcæ Gentes, deque eo dixêre, *quòd præterita noverit*, *præsentia cernat*, *& futura videat*; id quod convenit cum *Tripode Apollinis*, qui idem cum *Phœbo* Sol est. Viderunt enim in isto Ignis Oceano stupendo, & quasi vivo & omnis vitæ fonte, divinum quid. Hinc ipsum *Socratem* Solem salutasse, atque ἴκετον aliquoties in isto cultu passum fuisse, narrat *Plato*. Quòd verò & verus Deus isto *Baalis* nomine appellatus sit,

quod nomen derivatur ab Hebræis, & notat id, quod *Jupiter Olympicus*, *Dominum cœli* ſcilicet; nam בַּעַל ſignificat *Dominum*, & שָׁמַיִם *cœlum*. Et quid aliud *Dominus cœli* in Theologia Gentili eſt quàm *Sol*? qui æquè vocari poteſt *Rex cœli*, ac *Luna*, *Regina*. Accedit, quòd *Sanchoniatho*, referente hoc de ipſo *Euſebio l. c.* pro uno eodemque ſumit *Solem*, *Jovem*, & *Beel-Samen*. (2)

ſit, conſtat. Vid. *Hoſ.* II. 18. Verùm profanum illud nomen reputatum eſt, poſtquam ad profana Numina traductum. *Chald.* dicitur בַּעַל contractè בֵּל, unde Βῆλος, *Græcis*, *Latinis* & *Carthaginenſibus* notus. *Virg. Æn.* 1.

Implevitque mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo ſoliti — —

(2) Cel. *Voſſius Idol. lib.* 2. *cap.* 4. autumat, hunc Deum *Beel-Samen* eundem fuiſſe cum *Beelzebub*, vocatum autem eum *Beelzebub* ab Hebræis ex magno idolomaniæ odio; quemadmodum ex *Bethel*, quod eſt *domus Dei*, poſtquam idololatria iſtic ad lapidem, ubi recubuerat Jacob, exerceri cœpit, fecerint *Beth-aven*, h. e. *domus vanitatis*. Nam בֵּית *domus*, אָוֶן *iniquitas*, *vanitas* eſt. Simul autem cum Autore noſtro putat *Beel-Samen* notâſſe *Solem*, ut & idem idolum *Beelzebub*. Vide plura de iſto idolo *Beelzebub cap.* 3. *ſequ.* Ceſſant equidem nunc iſta *Baalis*, *Molechi*, & *Baalitarum* nomina, at non ceſſant ipſi *Baalitæ* & *Baalim*, *ſolicolæ* & *ſoles*. *Baalim* ſunt, qui ſe ut Deos honorari, coli, ſuſpici, & mandata ſua Divinis præferri, ſeque ſolos *ſoles* dici, volunt. *Baalitæ* verò, qui Regiam Magnificentiam, potentiam, ſplendorem, opem, τροφὴν adorant, & in quos *Pompeji* ſcomma, quod in declinantem *Syllæ* dominationem protulit, verum eſt: τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες, ἢ δυόμενον προσκυνοῦσιν, *ſolem orientem plures quàm occidentem adorant. Plutarch. in vit. Pomp.*

V. Quod attinet *Saturnum*, plausibile est ipsius nomine cultum esse *Solem*. Deprehendo tamen, quosdam Interpretum *Molechum* exponere per *Mercurium*; nam מֹלֶךְ dici volunt quasi מַלְאָךְ *Angelum*, *nuntium*. Proinde interpretantur *Molech Mercurium*, *Deorum nuntium*. Alios video, qui per *Martem* exponant. *R. Levi in Levit.* XVIII. 21. Sed hi & numero & ratione inferiores sunt. Veritati propius putatur, quòd fuerit *Saturnus*, (3) quia, quemadmodum *Molecho*, ita *Saturno* Gentiles suos sacrificabant filios filiasque. *Macrob. Saturn. l.* 1. *c.* 7. Deinde statua *Molechi* parùm differebat à statua *Saturni*. Erat illa *ænea*, *stupendæ magnitudinis*, *cujus manus humum devergentes*, *& excavatæ erant*, *quas facilè claudere iisque plaudere poterat*, *sic ut juventus*, *quæ cogebatur ad illud terriculamentum*, *tanquam tenaci ignis claustro prehenderetur*. *Euseb. de præp. Ev. lib.* 4. *c.* 7. Fermè eandem delineationem *Molechi* habes apud *Jalkut Jerem.* VII. *fol.* 97. *col.* 1. ubi ita legere est: *Etiamsi*

(3) Plurimi Autores & gravissimi consentiunt, *Saturnum* fuisse istum *Molechum*, quia Phœnices *Saturno* suos filios immolâsse memorantur. *Euseb. in Orat. de laud. Constant.* ait: Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθνος τὸ ἀγαπητὸν καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων, *Saturno autem Phœnices quotannis sacrificârunt dilectos & unicos filios*. Vide quid dicat *Q. Curtius l.* 4. *c.* 3. loquens de Phœnicibus & præprimis Tyriis: *Sacrum quoque*, *quod quidem Diis minimè cordi esse crediderim*, *multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erant*, *ut ingenuus puer Saturno immolaretur*, *quod Sacrilegium veriûs quàm Sacrum*, *Carthaginenses à conditoribus traditum*, *usque ad excidium urbis suæ fecisse dicuntur*. Eadem fermè refert *Justinus*.

Landesbibliothek Oldenburg

Etiamsi fuerint omnes aliæ idololatricæ ædes Hierosolymæ, Molechi tamen ædes fuit extra Hierosolymam in loco separato. Quomodo Molech erat factus? Erat statua ænea, habens septem sacella, ante sese, & faciem vituli, & manus expansas, instar viri palmas aperientis, ad aliquid ab alio accipiendum; ignem in eam subjiciebant, excavata enim erat. In ista sacella pro ratione sacrificiorum ingrediebantur. Quomodo? Avem offerens, primum subibat sacellum; ovem offerens, secundum; arietem, tertium; vitulum, quartum; juvencum, quintum; bovem, sextum; denique filium suum oblaturus, septimum. Hoc ergo modo conveniunt *Molech* & *Saturnus*. (*) 1. In ritu sacrificandi. 2. Formâ statuarum. Illa autem *septem sacella* exstructa *Molecho* conferre licet *septem portis*, quibus Persæ *Solem*

(*) Omnes circumstantiæ evincunt, *Molechum*, *Baalem* & *Saturnum* unum idemque cultûs objectum fuisse, perque eos *Solem* indigitatum. Isti *Baali* seu *Molecho* aut *Saturno* supplicabant. 1. *Reg.* XVIII. 26. *Templa*, *altaria*, *sacrificia*, omnis generis, oleum, mustum, & frumentum, *statuas*, *oscula*, *lucos*, & turbam *sacerdotum*, qui *Camarim* vocabantur, dabant. Confer 1. *Reg.* XVI. & 1. *Reg.* XIX. Neque putandum est 2. *Reg.* XXIII. 5. *solem* à *Baale* distingui, cùm *Baal* exegeticè ponatur. Multi equidem *Baales* erant, nimirum quòd multa illi idola erecta ubivis essent. Uti ergo *Saturno Pœni*, & modo non omnes populi (Romanis exceptis) sic & *Israëlitæ*, qui catholicam omnium gentium idololatriam adoptarant, *Molecho* suo filios sacrificarunt. Ita *Ennius:*

Pœni sunt soliti sos sacrificare puellos.

Confer. *Jerem.* VII. 31. cum *Amos.* V. 27. Pertæsis autem forsan filiorum cremationis, mitius posteà cruciatûs genus placuit, nempe *per ignes traductio*, & *februatio*, seu *lustratio*.

Solem coluêre. (4) *Orig. contr. Celsum l. 6. fol. 74. col. 4.* Item *Gyrald. in Deor. Syntag. 7. p. 223.* Et veluti *septem portæ*, ita *septem sacella*, mysticè significare possunt *septem Planetas*, quorum *Sol* erat מֹלֶךְ, h. e. *Rex*.

VI. Cùm offerrent filios suos Idolo isti, pulsabantur tympana, ne ejulatus puerorum parentum aures afficeret. Unde locus ille vocabatur תֹּפֶת, à תֹּף, quod notat *tympanum*, & ob lamentationem liberorum, גֵּיהִנֹּם γέεννα, *Gehenna*, à גֵּיא, quod notat *vallem*, & נָהַר, quod notat *lamentari*.

VII.

(4) *Seldenus de Dîs Syris Synt. l. 1. c. 6.* ait: *Vereor, ut fidem suam liberent, qui septem Molechi conclavium Autores exstiterint.* Sic hic Autor non putat *Molecho* fuisse septem sacella, sed Autores didicisse & mutuatos ea esse à sacris *Mithræ*; quo nomine *Sol* apud Persas cultus est, cujus simulacrum effingebatur rictu leonis cum tiara, utrâque manu bubula premens cornua. Isti *Mithræ* septem portæ sacræ erant, planetarum numerum referentes, quos inter planetas *Sol* מֹלֶךְ *Rex* & *primus* fuit. Sed hîc nolo subscribere isti opinioni, quæ toto hoc cap. Planetis ita accenset Solem, ut circum terram gyrari putetur. *Mithra* verò est vox Persica, à *Mithar* deducta, quod notat *Majorē*, vel *Magnum*. *Strabo l. 15.* ait: Τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν Μίθραν καλοῦσι. Item Μίθρης ὁ πρῶτος ὢν Πέρσαις Θεὸς. Hinc *Mithriaca sacra*, de quibus *Claud. l. 1. de laude Stiliconis*;

Rex ipse micantem
Inclinat dextrâ pateram, secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem Sidera Mithram.

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Hîc quæri possit, num iste loquendi modus, *Ignis gehennæ Matth.* V. 22. ortum ducat ab illo igne, quem transiverunt filii *Molocho* consecrati? Resp. Quòd hoc loquendi modo neutiquam respectum sit ad istum ignem, licèt per miserandum filiorum ululatum & planctum, horrenda inferni tormenta aliquo modo exprimi queant; attamen durabilitas & æternitas infernalium cruciatuum videtur mihi depicta per alium ignem, qui continuò alebatur ad comburenda cadavera & sordes, ex Hierosolymis egesta. Nam *Gehenna* habebatur locus contemtissimus extra urbem, ubi comburebant per אש תמיד *ignem perpetuum*, ossa, cadavera, sordes, & intestina. *R. D. Kimchi*, *Psal.* XXVII. 13.

VIII. Kabbalistæ agentes de *Gehenna* sensu hoc metaphorico, scil. ut ea usurpetur pro cruciatibus inferni, distinguunt eam in *Gehennam superiorem & inferiorem*: per illam intelligunt tormenta corporalia, quibus uruntur corpora peccatorum in hoc seculo; per hanc pœnas animarum in seculo futuro. *Capnio de Kabbala p.* 644.

IX. Dicunt præterea, (†) *septem Gehennæ mansiones* esse, seu gradus. 1. *Infernum.* 2. *Perditionem.* 3. *Pro-*

(†) Certum hoc est, pro gradibus sanctimoniæ gradus fore gloriæ in cœlis, sive in Domo Patris cœlestis esse μονὰς πολλὰς *Mansiones* seu *habitationes multas. Joh.* XIV. 2. Ita & absque dubio in Inferno sunt μοναὶ πολλαί. Quot autem utrobique numero, vel quo ordine sint, quis nobis apodicticè enarret? Illas quidam ita recensent: Manus

3. *Profundum.* 4. *Taciturnitatem.* 5. *Umbram mortis.* 6. *Terram inferiorem.* 7. *Terram sitientem.* P. *Galat. l.* 12. *c.* 6. Qui prodigus temporis est, *l. c.* septem illas *mansiones* intueri, pluraque legere potest.

X. Multum disquirunt Interpretes, utrùm pueri in hac oblatione *combusti sint igne*, an verò tantummodò *Molecho consecrati & initiati*, transeuntes permedium (5) ab utroque latere dispositum

Manus Dei, *Deut.* XXXIII. 3. Gremium Dei, *Psal.* LXXIV. 11. *Paradisus*, *Luc.* XXIII. *Templum Dei*, & *Mons Tzion*, *Apoc.* VII. *Sinus Abrahæ*, *Luc.* XVI. *Fasciculus viventium*, 1. *Sam.* XXV. *Altare Dei*, *Apoc.* VI. 9. Locus *Refrigerii Act.* III. 10. &c. Has autem ita ex sacris literis produnt: *Manus Dei viventis. Hebr.* X. 31. *Carcer. Matth.* V. 25. *Manus inferni. Psal.* XLIX. 16. *Locus tormenti. Luc.* XVI. 23. *Exteriores Tenebræ*, *Fovea*, *Perditio*, *Abyssus*, *Mare*, *Stagnum sulphureum*, *Gehenna. Apoc.* XX. &c.

(5) *Vossius Idol. l.* 2. *c.* 5. ait: *Hæc traductio non erat crematio liberorum, sed februatio, h. e. purgatio sive expiatio quædam, quâ per spatium inter duos ingentes ignes intermedium vel à Camaris sive Sacerdotibus*, (כמרים sunt *sacrificuli* sic dicti, quòd solerent indui nigras vestes. *Hos.* X. 5. Judæi hodieque *Monachos Papales ita* appellant. *Vid. Lib. I. cap. IV. §. 4. not.*) *vel ad eorum præscriptum à parentibus ipsis ducebantur aut gestabantur*; subjungitque: *Ammonitas Molecho suos liberos sacrificâsse, solidè ex Scripturis adstrui nequit.* Miror autem tantum virum negâsse cremationē liberorū in usu fuisse Ammonitis, quùm tamen eod. loc. fateatur per *Molochum* notari *Saturnum*, & humanas cessisse prædas *Saturno*, qui fingitur confecisse proprios liberos, idque ex pacto cum fratre *Titane* inito. Quùm verò *Ops uxor*, quæ

ſitum ignem, in ſignum conſecrationis ſuæ? Veriſimile eſt utrumque uſitatum fuiſſe. 1. Quia S. Scriptura de utroque loquitur. 2. Hebræi quoque modum utriuſque docent.

XI. Quòd combuſti ſint, dicit expreſſè *Jalkut*, cui annuunt alii. *Aben-Eſra Levit.* XVIII. 21. ait: *Molech eſt nomen idoli, & Sapientes benedictæ memoriæ dicunt Molechum eſſe nomen univerſale, & notare quemcunque ſibi præpoſuerint, ut inter ipſos regnet; in hoc omnes conveniunt, quòd ſit βδέλυγμα abominatio peccatorum Ammonis, & hic modus loquendi, ſcil. Traducere, tantundem valet ac Comburere.* R. *Salomon Levit.* XVIII. 21. ait: *Nomen hujus idoli erat Molech, & hic erat ipſius cultus, nempe ut pater filium ſuum Sacerdotibus traderet, qui duas ingentes flammas ſuſcitabant, filios inter iſtos ignes traducentes.*

XII. Hoc non obſtante, non putandum eſt, nulla alia ſacrificia fuiſſe facta *Molecho* præter oblatio-

quæ & *Rhea* dicitur, *Jovem* & *Junonem* uno partu edidiſſet, Junonemque, abſcondito Jove, ſolam Saturno oſtendiſſet, *Corybantes* dicuntur adhibiti, qui cymbalorum tympanorumque pulſu obſtreperent, ne pueri vagitus & Lamentum, *Hebr.* נְהִיָּה (*Lat. Neniæ*) unde & vox *Gehenna* componitur, audiretur. Quòd ſi *Moloch* etiam Ammonitis *Saturnus* fuit, utique & ipſum vivicomburio coluêre. Deinde *Pſal.* CVI. 37. 38. dicitur וַיִּזְבְּחוּ & *ſacrificârunt* filios ſuos, Iſraelitæ ſcil. atqui dicuntur coluiſſe idolum Ammonitarum, unde ergo didicerant vivicomburium, niſi ab illis? Conſentit tamen cum Autore noſtro, & aſſerit apud cæteros Phœnicas & februationem iſtam & crematione obtinuiſſe.

Landesbibliothek Oldenburg

lationem filiorum, nam cui usui fuissent cætera sex sacella? Existimo hanc filiorum sacrificationem ipsis non fuisse injunctam vi superstitiosæ alicujus legis seu constitutionis, sed eam habitam fuisse pro opere meritorio, factamque ἐθελοθρησκείᾳ merâ. Hoc annoto, quia aliàs aperta differentia esset inter *Baalem* & *Molechum*. Nam Baalitæ imaginario suo Deo bovem, in disputatione illa inter ipsos & Eliam, offerebant. 1. *Reg.* XVIII. 26. Boves, vituli, & agni erant ipsorum ordinaria sacrificia, filiorum sacrificatio fuit extraordinaria. (6) Tamen ordinaria ipsorum sacrificia cruenta erant quadantenùs sanguine humano, sacerdotibus propriam carnem confodientibus.

XIII. Unde autem hic laniandi mos ortus sit, (7) non invenio, nisi quòd legamus, ejusmodi quid

(6) Rectè ait Autor non fuisse sacrificium humanum *Molocho* ordinarium, aliàs cur diceret *Curtius* (uti antea notavimus) tanto temporis intervallo hoc sacrum fuisse intermissum? Dicemusne interea temporis Tyrios non habuisse pro Deo *Saturnum?* Extraordinarium ergo fuit, cruentare aras humano sanguine, & tum demùm adhibitum (ut cum *Justino* loquar *lib.* 18. *cap.* 6.) *Cùm inter cætera mala etiam peste laborarent; tum, inquam, cruentâ sacrorum religione & scelere pro remedio usi sunt. Quippe homines, ut victimas, immolabant, & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dii rogari maximè solent.*

(7) Quid, si diceremus, homines, postquam sic Rationis μετεμψύχωσιν mersi essent, ut corporeum conciperent Deum,

quid usitatum fuisse Sacerdotibus Gentilibus in sacrificiis pro *Bellona*. *Tertullianus Apol. c.* 9. hoc tangit; *Lactantius* autem *Lib.* 1. *de fals. rel. c.* 21. agens de *Bellona* ejusque sacrificulis, clariùs loquitur; dicens: *Ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & utrâque manu districtos gladios exserentes, currunt, & efferuntur, & insaniunt.* Quis hos (8) *Bellonitas* non

Z censeat

Deum, putâsse, eum quoque, si corpus, habere affectus & passiones, (animam enim denegare Deo non potuerunt) ergo ipsum posse commoveri ad commiserationem, præsertim eorum, qui corporeo Deo affines essent, quique possent dicere αὐτοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν *ejusdem etiam cum ipso generis sumus*; nam quò conjunctior res nobis est, eò magis nos afficit. Hinc, ut commoverent passiones in Deo, suum corpus laniârunt, putantes impossibile esse, Deum non fore turbatum, & quò ingentes suas passiones sedaret, ipsum sibi præsentem opem allaturum, ne pergerent sævire in corpus, neque truculento hoc adspectu cruciaretur: veluti legi in quibusdam Itinerariis, quòd quidam mendici Chinenses, nisi ipsis citò quid præbeas, extemplò tibi crudele spectaculum relinquant, caput duro saxo illidentes, ut viscera spectatoris commoveant.

(8) Hujus Dei sacrificuli vocati quoque sunt *Bellonarii*, proprio sanguine sacrificantes, concisis humeris lacertisque; insanientium enim ritu gladios per eas partes exercuerunt. Hinc *Martial. l.* 12. *Epigr.*

Nec turba cesset entbeata Bellonæ.

Hi *Bellonarii*, furore correpti, stragem populorum & eversiones urbium vaticinabantur, iisque maxima fides habebatur &c. Id indicat *Lucanus l.* 1.

—— Quos sectis Bellona lacertis
Sæva monet; cecinêre Deos.

Et *Juvenalis Sat.* 4.

—— Sed ut fanaticus œstro
Percussus, Bellonæ, tuæ divinat.

censeat esse veros *Baalitas*, de quibus 1. Reg. XVIII. 26. 28. *Insiliêrunt versùs altare, quod fecerat; Et incidebant sese cultris & spiculis suo more, usquedum se perfunderent sanguine.*

XIV. Quòd opinio Deum placandi (*) sacrificio filiorum nata sit ex historia Abrahæ, sacrificantis Isaacum, verisimile videtur, & docetur à R. *Salom. Jarch. Jerem.* XVI. 31. qui Deum ibidem introducit de *Molecho* ita loquentem: *Non præcepi, ut filios suos holocaustum offerant, nec id dixi unquam Prophetarum cuiquam. Cumque Abrahamo loquerer de sacrificando filio, non adscendit in cor meum, ipsum debere sacrificare eum, sed ut manifestaretur ipsius justitia.*

XV.

(*) Opinionem placandi Deum sanguine filiorum equidem ad Historiam *Abrahami* cum Autore quidam non frustra referunt, utpote quem *Patriarcham* cœcæ gentes æque ac *Noachum Saturnum* dixêre, quòd uterque filios devovisse & reddidisse visus est; verùm illa opinio altius sedet, profundiusque fundamentum habet. Conscientiam peccati sensu & pœnæ metu agitatam hujus opinionis radicem esse Propheta innuit, *Mich.* VI. 7. vult enim naturalis homo Deum placare, quem sentit & absentem & iratum. Sanguine nihil pretiosius cùm sit, sanguinem bestiarum primò ei offerre voluit, & oblatum à primis parentibus audivit; sed facile persuadere sibi poterat, bestiarum sanguinem haud sufficere. Sic teste *Cæsare Lib. 6. Bell. Gall. Druides* arbitrati sunt, *quòd pro vita hominis nisi vita hominis tradatur, Numen placari non possit.* Hinc alios *servosque*, deinde *filios*, postremo *sese* immolandi devovendique animus; imò & sese sauciandi ac flagellandi origo. Accedit & oraculorum consilium hoc patrandi. *Pausanias Bœotic.* dicit; *Delphense Oraculum respondit,* τῷ Διονύσῳ θύειν παῖδα ὡραῖον.

XV. Sic *Porphyrius* agens de *Saturno*, qui videtur verus fuisse *Molech*, ait, quod Phœnices illum vocent *Israel*, quòdque ille ex *Anobreth* habuerit unicum filium, linguâ Phœniceâ *Jeud* dictum (extra dubium ab Hebraïco vocabulo יחיד, quod significat *unigenitum*, & Isaaco applicatur *Gen.* XXII. 2.) quem sacrificârint super altari ad hanc rem structo. *Euseb. Præp. Evang. l.* 1. *c.* 7. *p.* 17. Quis hic non palpet historiam de *Abrahamo* & *Sara* sub nominibus *Israël* & *Anobreth*? & sacrificationem *Isaaci* sub nomine *Jeud*? & originem filios jugulandi fuisse κακοζηλίαν facti Abrahami?

XVI. Sed quid? (†) an Sol non alio modò idololatrico colebatur? Imò, invenimus alium, quo cultus est, modum, nisi fallor, *Amosi* V. 26.

(†) Ad hæc omnia illustranda, notanda sunt *Oweni* optimi Theologi, verba *Theologum. l.* 3. *c.* 4. Nos „ omnis cultus idololatrici, qui totum penè orbem occu- „ pavit, duo genera fuisse statuimus, *Sabaismum* & *Helle-* „ *nismum*. *Ille* in cœli, solis, lunæ, atque stellarum „ cultu consistit. *Hic* hominum demortuorum & Dæmo- „ num venerationem illi addidit. Simulacrorum imagi- „ num & columnarum adoratio utrique communis fuit. „ Cœlos autem prius quàm cœlites fictitios venerata est „ Idololatrarum turba. Hinc ante Jobi tempora *Hellenismum* „ viguisse nulla monumenta extant: *Si vidi Solem splen-* „ *dentem & Lunam honorificè incedentem, & seduxit sese in* „ *abscondito cor meum, & osculatum est manum meam os* „ *meum*, h. e. osculo veneratus sum illa astra, &c. *cap* 30. „ quibus verbis usitatam tum temporis astrorum θρησκείαν „ à se molitur sanctus vir. Nondum seculo Jobiano *Soli* „ equis, vespertilionibus, muribus, cæterisque repti- „ libus,

Portâstis tabernaculum Melechi vestri, & Ciun imaginum vestrarum, stellam Dei vestri, quem fecistis vobis. Hanc versionem præfero aliis. 1. Quia vox Hebraïca סכות significat *tabernaculum*, ונשאתם את סכות מלככם. 2. Vertitur à LXX. *tabernaculum Molechi.* 3. Ita rursùs refertur à Stephano *Act.* VII. 43. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. *Imò bajulastis tabernaculum Molochi, & sydus Dei vestri Remphanis, imagines, quas fecistis vobis, ut adoraretis.*

XVII. Tria hîc inquirenda, ut intelligatur locus iste ܡܠܟܐ. 1. Quid sit *bajulatio* illius tabernaculi. 2. Quid idoli indigitetur nominibus *Chiun* & *Remphan.* 3. Quid per *stellam* hujus Dei denotetur. (9)

XVIII.

libus, de quibus *Maimonides*, aut frugibus, multò minus sanguine humano, litatum est. Adorationem simplicem frugum oblationes exceperunt. Nempe ad idola conversi, non ausi sunt illicò cruenta sacrificia eis offerre. Ita *far*, *vinum* & *oleum* Israëlitas *Baali*, sive *Soli*, obtulisse, conqueritur *Hoseas* II. 8.

Illi ad surgentem conversi lumina Solem,
Dant fruges manibus salsas. Virg. æneid. 12.

(9) Quia non est animus ea examinare, quæ Autor subjungit ad explicationem hujus textûs, propterea hîc id statim addo, quod videtur satisfacere textui. Constat S. Scripturam μοσχοποιΐαν Israelitarum hinc inde sugillare, & nullo modo silentio premere. Putamusne ergo, si Israelitæ in deserto literaliter portâssent tabernaculum *Molochi*, con-

XVIII. *Bajulatio* tabernaculi illius notat cultum, quem detulêre idolo isti, portando illud huc & illuc in tabernaculis & aulæis, solenni pro-

contemptâ verâ religione & rejecto illo tabernaculo, quod Deus pangi jusserat, Scripturam id in *Pentateucho* sicco pede præterituram fuisse? Ergo hic locus literaliter intelligendus non est. Accedit, quòd *Amos.* V. 25. Deus neget sibi oblata esse in deserto sacrificia; atqui oblata sunt Deo sacrificia, ergo hi loci literalem sensum non admittunt. Quid ergo? Deus, si non eo modo, quo vult, colitur, non colitur, etsi coli censeatur; si autem is non colitur, Diabolus colitur. Hinc Judæi, hæc non perpendentes, & externis tantùm sensibus tabernaculum Dei usurpantes, putârunt Deum illis tapetibus gaudere, & velle propterea sub iis habitare: atque sic hæc res Deum ussit, ut hic cultus ei idem fuerit, ac si *Molochi* & idoli tabernacula portâssent, quia tam indignas de Deo & ejus tabernaculo & arca fovebant cogitationes, dum non altiùs adscenderent, & quid per eas res significaretur, indagarent. Vocabulo autem *Molechi* usus est Spiritus S. l. c. ob duas rationes. 1. Quia Satan est בַּעַל שָׁמַיִם *princeps aëris*, adeoque מֹלֶךְ; & sic voluit docere, ipsos Diabolum coluisse. 2. Quia *Molech* denotat *Solem*; quo ostendere voluit, Judæos astris servisse, dum Cherubinos in arca censuerunt esse symbola Angelorum vertices cœlorum rotantium, uti videbimus. כִּיּוּן notat *loculamentum*, & sine dubio derivatur à כּוּן *disponere*, & idem est cum כֵּן *theca*. Belgæ, Luth. Angl. *Ciun* retinent. LXX. ῥεμφᾶν reddunt, forsan visi sibi sunt legere רִיוּן, unde facile mutatis Vocalib. ῥεμφᾶν enasci potest. *Lucas* reliquit, quod habebant LXX. quia nihil ad rem intererat, quomodo nominaretur Deus falsus & fictitius, dummodo non honoraretur ut Deus verus.

cessionis ritu. Hæc solennitas Romanis vocatur *Pompa*, & tentorium, sive theca, quâ portabatur Idolum, *Thensa*, juxta id: *Thensa Deorum vehiculum.*

XIX. Hæc idololatriæ species videtur ortum traxisse inter Gentes à κακοζηλίᾳ tabernaculi Mosaïci, quod nihil aliud fuit quàm *portatile templum*, nam οὐδὲν ναοῦ μεταφερομένου διέφερε *nihil à templo tralatitio distulit, Joseph. Antiq.* & de loco in locum, ubi necesse fuerit, transferri potuit. Siquidem negari non potest, multas superstitiones Gentilium haustas fuisse à vero Dei cultu, quem ipse Deus suo populo præscripserat. (†*) Quemadmodum Deus

rus. Sic portarunt Israelitæ כִּיּוּן *arcam imaginum suarum*, ihren Bilder-Kasten/ h. e. in qua cælati erant Cherubini, qui in oculis Dei propter ipsorum cultum erant imagines & idola, præsertim quum ex sequentibus pateat, Judæos habuisse Cherubinos pro intelligentiis & dæmonibus, h. e. credidisse Cherubinos esse emblemata stellarum, quæ haberent animas, & sic movere possent cœlorum vortices. Nam sic habent verba *Amos.* V. *Tulistis tugurium regis vestri, & loculamentum imaginum vestrarum*, (quæ sunt imagines) *stellæ Deorum vestrorum.* Unde videre licet apud Deum illam tabernaculi & arcæ sanctæ portationem idem fuisse, ac si reverà portâssent *Molochi* & dæmoniorum tabernaculum, rejecto veri Dei cultu. Cur hoc? quia clausis oculis non adverterunt, quid Deus boni per res illas significaret, nam Deus vult coli rationali cultu & οὐ γνώσει.

(†*) Quemadmodum omnis Atheismus, impietas, hæresis, & error, ita omnis idololatria oritur ex cœca *ratione*, seu mente obtenebrata, & perversa *voluntate*, seu

Deus habuit ſuum *Tabernaculum*, *Sacerdotes*, *Altaria*, *Victimas*, ita & Diabolus. Quemadmodum Deus habuit *æternum* ſuper altari *ignem*, *Levit.* VI. 13. ita & Diabolus ſuum, quem perpetuo fovebant *Virgines Veſtales*. Quemadmodum DEUs ſuum habuit ἱλαστήριον *propitiatorium*, ſic Diabolus ſuos habuit *ſacros tripodas*, è quibus oracula ſua ſe colentibus retulit.

ſeu philautia. Quando enim ob has homo naturalis Deum non amplius habet aut ſentit præſentem, tùm iſti incommodo mederi vult, erectione externorum ſymbolorum, ſimulacrorum, imaginum, columnarum, & ſtelarum, imò & templorum, altarium, & ſacerdotum, qu. Dei vicariorum, quibus præſentem ſiſtere Deum, aut vi dedicationis eum iisdem adſtringere ſe poſſe putat aut optat. Hæc ratio eſt, quare in V.T. Deus tot externa ſymbola & elementa ſeu ſacramenta conceſſerit populo carnali, qui iſtum acceſſum ad Deum non habebat, ſed ut procul ſtans Deum quaſi remotum à ſeſe, contemplabatur. Eadem ratio eſt, quòd Gentes tot externæ Religionis ſimulacra, imagines & ſtelas ſibi poſuerint. Quapropter quò propius ad Deum accedimus, eò minus elementorum externorum ſuperat. Jam & patet, quare Iſraëlitæ vitulum fuſum voluerint? *Abeſt*, inquiunt, *ille Moſes* &c. *Exod.* XXXII. Et quare Elia *abſentiæ Dei Baalitarum illuſerit*? 1. *Reg.* XVIII. 27. Hinc & *Athenienſes Poliorcetem* urbis liberatorem mœnia ingredientem, tanquam præſentem Deum, cæteris vel procul abſentibus, vel rem Athenienſium non curantibus, his verbis decantarunt: *Salve ô Neptuni, Dei Potentiſſimi, & Veneris, Fili! Alii profectò Dii vel procul abſunt, vel auribus carent, vel nulli ſunt, aut rebus noſtris curandis animum non advertunt; Te verò nos Præſentem cernimus, non Lapideum, aut Ligneum, ſed verum Deum.* Vid. *Athenæum in Deipnos l.* 6. & *Owenum* noſtrum *l. c. Lib.* 3. *Cap.* 7.

Landesbibliothek Oldenburg

XX. Hæc ſolennis proceſſio apud Romanos facta eſt in honorem *Solis*.

Solis honore novi grati ſpectacula Circi
Antiqui dixêre Patres.

Corip. Afric. l. 1. num. 17. vid. Dempſt. Apud Iſraelitas ea ducta eſt proceſſio in honorem *Molochi*, quem jam diximus eſſe *Solem*.

XXI. Ut pompam & dignitatem adderent huic ſolennitati, Romani & Iſraelitæ ſpecioſæ magnitudinis equos & currus huc illuc ducebant. Apud Romanos equi dedicati erant *Soli* & circus ipſorum, ſeu ſpatium, in quo decurrebant, ſubinde vocatur τὸ ἱππικόν & ἱπποδρόμιον. *Alex. ab Alex. l. 3. cap. 12.* Quod autem plerumque currus in ſplendido hoc ſpectaculo adhiberentur, conſtat. *Hîc illius arma; Hîc currus fuit. Æneïd. 1.* Quod attinet Iſraelitas, annon idem fecêre? 2. *Reg.* XXIII. 11. (†) *Et Joſia removit equos, quos dicaverant Reges Jehudæ Soli, & currus Solis combuſſit igne.*

XXII.

(†) Veriſimile eſt, prius *Molechum*, *Baalemque* ſeu *Solem* idololatris ſimpliciter adoratum, poſtea imagines & ſtelas ei poſitas, quâ autem formâ, ignoratur; niſi fortean *oris humani*, uti ille *Coloſſus Rhodius*. Sic & *Ægyptiis & Aſſyriis* Solis ſimulacrum fuit aurigæ in modum flagrum dextrâ tenens. Tandem creſcente ſtupore quod ſupra diximus, varia ſacrificia, imò & cruenta oblata, & *equi ac currus* dedicati. Per omnem orientem equos Soli ſacros fuiſſe teſtantur *Xenophon* & *Pauſanias*, eis *quadrigas* additas oſtendit *Heliodorus*. Videntur hi equi fuiſſe inſtar veredorum; ita ait *Owenus* autor laudatiſſimus, quibus

XXII. Hæc Idololatria adorandi *Solem* videtur ducta â Persis, qui equos *Soli* quoque consecrabant. Et Rex Persarum, pompam suam magnificam ostentaturus, raræ magnitudinis equum huc illuc duci jussit, qui vocabatur *Equus Solis*. *Cœl. Rhodigin. antiq. l. 8.*

XXIII. Secunda quæstio est, quale Idolum intelligatur per *Chiun & Remphan?* Ne obruam Lectorem varietate interpretationum, multò minus superbâ temeritate eorum, qui textum emendare sustinent, per *Chiun* intelligendus est *Hercules*, qui linguâ Ægyptiacâ vocatur *Chon*; per *Remphan* intelligimus eundem, nam רפאים in Lingua Sancta significat *Gigantes*. Per *Herculem* intelligere possumus *Planetam Solis*. (10)

quibus cursores equestres utebantur, qui cotidiè Solem jussu Regis, salutabant, 2. *Reg.* XXIII. vel forsan etiam ipse Rex Solem orientem adoraturus eis insidebat. Utrum currus veri fuerint, an curruum imagines, incertum est. *Ezech.* VIII. 16.

(10) Non abludit à vero, quod hîc Autor dicit: non quidem adstipulor per 'ρεμφὰν indigitari *idolum Herculis*, aliter enim jam id vocabulum deduximus, sed in re convenio. Nam *Hercules* Gentibus denotavit *Solem*, & quando Judæi à Deo habiti sunt ac si coluissent stellas, & inter eas *Solem*, quia Cherubinos non adverterunt significâsse fideles N. T. & Angelos Sanctos, sed putârunt esse emblemata intelligentiarum, h. e. stellarum, stellas enim ipsas putârunt esse animatas cum quibusdam Philosophis. Hinc cum S. Scriptura possunt dici coluisse *Herculem*, quia dicuntur coluisse *Solem* inter stellas. Atqui, quòd *Hercules* Genti-

XXIV. Sunt Etymologici, qui nomen *Hercules* derivant à vocibus Ἥρας & κλέος, quæ significant *aëris gloriam*; quæ autem alia est aeris gloria, nisi *Solis* illuminatio? *Macrob. Saturn. l. 2. c. 2.* Alii proinde etiam deducunt ab *Hebraïco* האיר כל *illuminavit omnia*, cum quo convenit expositio Græca; denotaturque universalis lux, quam *Sol*, velut fons aquam, fundit. Adde, quòd *Porphyrius Herculis facta*, quæ toties decantantur Poëtis, non aliter exponat, quàm ea esse *signa duodecim Zodiaci*, quæ *Sol* quotannis emetitur. *Euseb. de præpar. Ev. l. 3. cap. 4. p. 71.*

XXV. Sed quærere quis possit, num quoque nomen *Herculis* Judæis notum fuerit unquam? Verisimile est, quòd fuerit; quia *Hercules* fuit *Tyriorum* Deus; à quibus multum idololatriæ suxerunt Judæi, quum essent vicini. Imò apparet, tempore Maccabæorum hoc nomen vulgò innotuisse; nam *Jason* Pontifex misit ter centum drachmas argenti ad sacrificium *Herculis*. 2. *Macc.* IV. 19.

XXVI.

Gentibus denotârit *Solem*, constat ex convenientiis, quæ inter utrumque intercedunt. *Alcides* enim dicitur ab ἀλκὴ robore, quia *Sol* omnes res sublunares vincit; & quemadmodum *Juno* studet obscurare gloriam *Herculis*; sic aër (qui Poëtis est *Juno*) crassior Solis. Quemadmodum *Hebe* Dea juventutis sponsa *Herculis* est; sic *Ver*, quo cuncta pubescunt, *Solis*. *Hercules* fingitur unâ nocte 80. filios genuisse, quo denotatur *Sol* fœcundans terram, &c. Plura occurrunt apud Mythologos. Quod Author dicit *Chon* esse Ægyptiis *Herculem*, hoc *Seldeno de Dîs Syris* non placet *Cap. 15. Synt. 2.*

XXVI. Tertiò quæritur, quid fuerit *stella illius Remphan?* Verisimile putatur fuisse *stellam exaratam in sincipite Molechi*, *Oecum. Act.* VII. 43. nam frequens fuit Gentilibus sua idola pingere vel sculpere cum ejusmodi symbolicis additamentis. Simulacro *Julii Cæsaris* in vertice addita est stella. *Sueton. in Jul. Cæs.* sub fin. *Plin. Hist. nat. l.* 2. *c.* 25. *Horat. l.* 1. *od.* 12.

XXVII. Sol (†*) quoque adorabatur à domo Juda *sub nomine Thammuz*; nam *Thammuz*, teste *Hieronymo Comment.* 3. *in Ezech.* erat *Adonis*; & *Adonis* vul-

(†*) *Thammuz* Hebræorum idololatrarum, *Adonis* Phænicum, *Osiris* Ægyptiorum, unum idemque Σέβασμα, nec non *Sol* fuit. Forsan etiam Ægyptii simul *Josephum*, aut *Mosen*, qui erat puer ἀστεῖος τῷ Θεῷ *formosissimus*, & *amissus* & *repertus*, indigitarunt. Quemadmodum quoque per *Molechum*, *Saturnumque Noachum*, *Abrahamum* & *Solem* Gentes, pro sua Theologia μυθικῇ & ἀνιστορησίᾳ, intellectos voluêre. *Adonidem* ipse *Orpheus* in hymnis *Solem* esse censet, cum illum rebus omnibus nutrimentum præbere, & germinandi authorem esse, dixerit his versibus:

Ἐυβουλε, πολύμορφε, τροφὴ πάντων ἀρίδηλε,
Κόρη καὶ κόρος συ πᾶσι, θάλος ἀιὲν Ἄδωνι,
Σβεννυμένη λάμπων τε καλαῖς ἐν κυκλάσιν ὥραις.

Id est, *Josepho Scaligero* elegantissimè interpretante:

Conse Deus, Volturne, alimentum nobile Rerum,
Pusa, puer cunctis viridescens semper Adonis,
Occase & Redivive statis vertentibus annis.

Osiris, qui & *Bacchus*, & Plinio *Pan*, *Serapis* & *Ammon* dicitur, & Romæ cultus est, nomen videtur ducere ab ὀς & ἴρις, quod, teste *Plutarcho*, Ægyptiacâ linguâ sonat *Multum Oculum*.

Landesbibliothek Oldenburg

vulgariter exponitur esse *Sol*, ab Hebraïco אָדוֹן *Adon*, *Dominus*, qui cum בַּעַל *Baal*, & מֹלֶךְ *Molech*, *Princeps & Dominus* planetarum est. *Pier. Hierogl. 9. p. 68.* Mensis noster *Junius* vocatur Hebræis *Tammuz*, & ingressus Solis in Signum Cancri in Judaïca Astronomia dicitur תְּקוּפַת תַּמּוּז *circumvolutio Thammuz.*

XXVIII. Quod attinet *Adonidem*, qui ab antiquis Autoribus subinde vocatur (11) *Osiris*, duo notatu digna sunt; Ἀφανισμὸς *interitus Adonidis*, & ἔυρεσις *reditus illius.* Quemadmodum ingens planctus excepit ipsius ἀφανισμόν, præprimis inter mulierculas, ita ipsius ἔυρεσις magna cum læitiat fuit, *Plut. in Alcib.* *Nun-*

(11) Quòd *Osiris* idem fuerit cum *Adonide*, vix quis negare poterit. Nam *Osiris* quoque fingitur interfectus, & ab *Iside* conjuge diu quæsitus, & defletus, postea laceratus repertus, dictusque est *Apis* postea, & *Serapis*, ac sub bovis forma cultus; qui bos, cùm esset sacro fonte mersus, ingentem luctum reliquit, cùm verò ei similis repertus est, exstitit multum gaudii. Et sic *Osiris* est *Adonis*; *Adonis* autem à Syris adoratus est nomine *Solis*, & quidem mense *Thammuz*, h. e. *Junio*. Quæ autem Antiquitas credula fabulata est de *Adonide*, apprimè cum *Sole* conveniunt. Fingitur *Adonis* ab apro, fera aspera & hirsuta prostratus, sicut *Solis* vires debilitantur hyeme asperâ; quod quum fit, *Venus* dolet, quia eo tempore frigere cogitur. Deinde quando *Sol* versùs Austrum in sex signis Zodiaci deflectit, breviorèsque dies ac longiores noctes relinquit, *Adonis* apud inferos hæret, reditque ad *Venerem*, cum adscendere videtur ad sex signa Borealia; quæ *Venus* tum temporis venustatem nitoremque arvis restituit, lætitiæque occasionem præbet. Plures convenientias colliges apud Mythologos.

Landesbibliothek Oldenburg

Nunquamque satis quæsitus Osiris.
Semper enim perdunt, semper & inveniunt. Luc.

Per interitum *Adonidis* intelligendus est *recessus Solis*, per reditum *accessus*. Jam autem bis quotannis videtur recedere. 1. Quando est in Tropico Cancri, in remotissimo versùs Boream gradu. 2. Quando est in Tropico Capricorni, in remotissimo versùs Austrum gradu, quod respondet binis recessionibus *Solis*, quæ vocari possunt ἀφανισμοὶ Solis; & binis revolutionibus immediatè sequentibus, quæ quoque vocari possunt εὑρέσεις Solis. Hinc observare licet, quòd etsi Ægyptii sua *Adonia* feriarentur mense *Novembri*, Sole in remotissimo Austri gradu constituto, domus tamen Judæ suum festum celebrârit mense *Junio*, Sole remotissimo ad Boream, quia utriusque festi eadem ratio fuit, in re ipsa convenientis. De hoc censetur locutus esse Propheta *Ezech.* VIII. 14. *Ecce ibi sedebant mulieres plangentes Thammuz.* (12)

XXIX.

(12) R. *Moses* citante *Seld. Synt. l.* 2. *c.* 11. putat τὸν *Thammuz* fuisse Prophetam idolorum, dixitque; *Thammuz, cùm prædicaret cuidam Regi, ut inserviret septem stellis & duodecim signis, præcepit Rex eum interfici gravi morte. Nocte verò mortis ipsius, convenerunt omnes imagines ab extremis terræ in palatio Babylonis ad imaginem auream, quæ erat Solis, & pendebat inter cœlum & terram, & prostravit se in medio palatii, & omnes imagines circumquaque, & narravit eis, quidquid contigerit τῷ Thammuz. Imagines verò stabant, & lamentabantur per totam noctem, manè autem facto, evolaverunt omnes imagines ad palatia sua, usque ad extremum terræ;* & statim subjungit: *& consuetum est quotannis in principio mensis Thammuz lamentari super Thammuz.* Sed obesioris oportet esse naris, cui non hîc suboleat fœtidus ingenii Judaïci embryo.

XXIX. Solennitates istæ præprimis observabantur à *Bybliensibus* & *Alexandrinis*. Ritus ita habuit: *Bybliensibus* celebrantibus mortem seu ἀφανισμὸν *Adonidis*, *Alexandrini* mittebant epistolam cistulâ custoditam vimineâ, quâ docebant, *Adonidem* repertum esse, quem mortuum lugerent. *Procop. in Esa.* XVIII. item *Cyrill. l. 2. tom. 2. in Esa.* I. Hæc cistula, peractis consuetis ceremoniis, maris undis permissa, ἀνεμπόδιστος & secundo fluxu delata est *Byblum*; quâ receptâ, planctus mulierum in lætitiam exiit.

XXX. Aliis placet, quòd hic planctus noctu fuerit impensus simulacro alicui, finitoque eo, cereâque allatâ, (quæ ceremonia mysticè significare potest εὕρεσιν & *apparitionem* Solis) Sacerdos locutus sit pressâ voce secum: Θαρρεῖτε τῷ θεῷ, ἐκ γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία; *Confidite Deo, nam ex dolore nobis obvenit salus. Julius Maternus Firmicus lib. de errore profan. Relig.*

XXXI. Sunt alii ex Judæis, qui asserunt suum *Thammuz* fuisse simulacrum, ejusque oculos cùm implêssent plumbo, idque subdito igne colliquatum esset, lacrymas profudisse. הָיוּ עוֹשִׂים צֶלֶם וּמְמַלְּאִים עֵינָיו עוֹפֶרֶת וְהָיוּ עוֹשִׂים אֵשׁ מִתַּחְתָּיו *Fecerunt simulacrum, & impleverunt oculos ejus plumbo, & fecerunt ignem sub eo. R. David Kimchi in Radic. fol. pag.* 560.

XXXII. Quidam putant Esaiam respexisse inclusam istam vimineæ capsulæ epistolam *Esa.* XVIII.

XXIII. 2. cùm loquitur de legatis missis trans mare in lembis junceis. *Procop. in Esa.* XVIII. Sed potiùs literalem sensum probo, nam propter Syrtes & brevia, item periculosa saxa Nili, frequens erat usus lemborum fabricatorum ex (13) majoribus juncis, qui Ægyptiis vocantur *papyrus*, & naves ex ea, naves *papyraceæ*. *Plin. Hist. lib.* 6. *c.* 22.

CAP.

(13) Itineraria nobis produnt, quòd Indi etiamnùm navigia è scirpis, arundinibus, & papyro contexant, atque ex eadem materia consuant vela. Videatur *Itinerarium à Linschoten*, aliorumque. *Tavernierus* & complures alii describunt Trajectum fluminum *Tigridis*, ni fallor & *Euphratis*, fieri iisdem naviculis vimineis. Hoc etiam testatur alibi *Plin.* scil. *Hist. nat. l.* 13. *c.* 11. ubi ait: *Ex ipsa quidem papyro navigia texunt, & è libro vela, tegetesque, nec non & vestem, etiam stragulam ac funes.* Idem canit *Lucanus lib.* 4. *vs.* 131.

Primùm cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim &c. vs. 136.
Conseritur bibulâ Memphitis cymba papyro.

Hujusmodi fuit תֵּבַת גֹּמֶא *capsula scirpea*, quâ in Nilo servatus est Moses; unde magni viri collegerunt Mosen indigitatum per illas ceremonias, quas *Byblienses* in fletu super *Adonide*, & missione scirpeæ capsulæ cum literis, usurparunt. Certè omnes circumstantiæ huic sententiæ applaudunt.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. III.

De Baal-Peore, Baal-Tsephone, Baal-Zebub, Baal-Berith, Bel, & Dracone.

I. QUem Hebræi *Baalem*, illum Babylonii *Belum* dicunt; & licet planeta *Sol* solus primò sub hoc nomine videatur cultus esse, postmodùm tamen hoc nomen commune factum est aliis idolis, juxta illùd εἰσὶ πολλοὶ θεοὶ καὶ κύριοι, (1) *sunt multi Dii* seu בעלים & *Domini*, 1. *Cor.* VIII. 5.

II. Quem-

(1) *Loco* 1. *Cor.* VIII. 5. non agitur de πολυθεΐα Gentium, sed de iis Diis, qui vocantur θεοὶ λεγόμενοι *Dii ita tantùm dicti.* Quales fuerunt ἄρχοντες καὶ ἐξουσίαι *Principes & Potestates* in V. T. h. e. *Seniores* & *Sacerdotes*, imò Angeli, quibus αἰὼν οὗτος *illud seculum secundum* subjectum fuit *Hebr.* II. 5. 7. Quòd autem *Paulus* de his loquatur, patet inde, quia ipse hoc *cap.* Christianam libertatem asserturus, non potuisset illud facere, si dixisset modò simpliciter nobis tantùm est unus Deus, & non Dii Gentium; nam Judæis non fuerunt Dii Gentium; fuerunt autem *Dii dictitii*, qui leges dabant, & jugum conscientiis imponebant, & *judices* erant in populo; atque sic erant servi, & non liberi, quales liberi sunt veri Christiani, libertate omnimodâ à Christo donati, quibus non opus est aliis præter Christum ejusque Spiritum *Doctoribus*, *Legislatoribus*, *Presbyteris*; imo quibus ne *lege* quidem aliâ opus est, quàm quæ inscripta est digito Dei ipsorum cordi. *Gal.* III. 19. 1. *Tim.* I. 9. Ergo loquitur Paulus de talibus Diis, quibus cum sua œconomia abolitis se repandit libertas Christiana. *Conf. Psal.* LXXXII. 1. 2.

Landesbibliothek Oldenburg

II. Quemadmodum *Jupiter*, idem cum *Baale* idolum, varia nomina obtinet, & varios cultus sæpè ob diversitatem locorum, ut *Jupiter Olympius*, à monte *Olympo*; *Capitolinus*, à monte *Capitolio*; *Latialis*, ab ea parte Italiæ, quæ appellatur *Latium*; sæpè ob varietatem beneficiorum, quæ creditur contulisse homuncionibus, ut *Jupiter Pluvius*, quia *pluviam* dat; *Jupiter Lucetius*, quia *lucem* indulget; *Jupiter Altitonans*, quia *tonat*. Ita *Baal* variis suis titulis insignis est, & variis ritibus colitur, vocaturque interdum ratione locorum, ut *Baal-Peor Num.* XXV. 3. Aliquando ratione acceptorum beneficiorum, ut *Baal-Tsephon*, *Exod.* XIV. 2. & *Baal-Zebub.* 2. *Reg.* I. 2. Aliquando ob aliam rationem, ut *Baal-Berith*. *Jud.* VIII. 33.

III. *Baal-Peor* creditur fuisse (2) *Priapus*, *obscœnum* illud idolum, celebre apud Autores profa-

 nos,

(2) Communis fermè sententia est בַּעַל-פְּעוֹר fuisse *Priapum*, à qua autem abit *Seldenus de Diis Syris*. Probat tamen *Vossius idol. l. 2. c. 7.* ipsum fuisse *Priapum* seu Romanorum *Mutonem* vel *Mutinum*, imò *Bacchum*, qui omnes *Solis* emblemata fuerint, & in quorum festivitatibus promiscuæ commixtioni indultum sit, & quo honore etiam Baalpeor videatur esse cultus. *Hos.* IX. 10. *Num.* XXV. 1-3. Putanturque Israelitæ huic cultui Baalpeoris litâsse *Hos.* IV. & ipsius simulacrum fuisse illud. 1. *Reg.* XV. 13. Quibus in locis utraque corporis luxuries copulatur, scil. *Venus* & *Bacchus*. *Scaliger. Hær. cap.* V. *pag.* 264. arbitratur, Scripturam appellâsse illud Moabitarum idolum בַּעַל-פְּעוֹר per μυκτηρισμόν, ut, quod aliàs à Gentili-

bus

nos, *Hieron. ad Hos.* IX. *Idem prodit Isidor. Orig. l.* 8. Vocatur *Peor* בעל-פעור à monte *Peor*. *Num.* XXIII. 28. Ita & ipsius templum, in quo colebatur, quodque erectum erat super eodem monte, dicitur בית-פעור *Beth-Peor*, *Domus Peor*, *Deut.* III. 29. *colebatur* à *Moabitis* & *Midianitis*. Idolum כמוש *Chemosch Jer.* XLVIII. 7. censetur idem esse. *Hieron. in Esa. l.* 5. *cap.* 5. Et credo ego, quòd *Baal-Peori* per χλεύασμόν *sanctam irrisionem* tribuatur, q. d. ipsorum *Deus cœcus*, juxta illud *Psal.* CXV. 5. *Sunt ipsis oculi*, bus nominatum fuerit בעל רעם, Ζεὺς βροντῶν, *Jupiter Altitonans*, *Baal-Peor* tantundem fit, ac ζεὺς πηδαῖος & à פער *aperire* descendat; h. e. ab apertione natium, è quibus erumpens crepitus opponatur tonitrui *Jovis*, seu τοῦ בעל רעם *Altitonantis*. Cui sententiæ manum videtur dare Cel. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. cap.* XI. §. 60. *not.* 2. item *Comment. in Ps.* CVI. 28. Eamdem tamen sententiam rejicit *Vossius cit. loc.* Rabbini quidem ajunt *Baal-Peorem* cultum esse crepitu ventris. Vid. *Cocc. loc. cit.* Sed jure ab omnibus ferè pro liris & gerris Rabbinicis habetur; nam an eò insaniæ progressos esse Moabitas censebimus, ut non fragrantiâ thuris, quâ idolorum nares pasci credebantur, sed fœtore πηδῆς *crepitûs* coli velle suum *Baal-Peorem* existimarent? *Cocc. Ps.* CVI. aliam præterea sententiam profert, quando putat, quum legitur ibidem: *& copulârunt se Baal-Peor, & comederunt sacrificia mortuorum*; hoc locò τὸ *Peor* esse loci nomen *Num.* XXIII. 28. & *Baal-Peor* sonare *Dominum Peoris*, eumque fuisse indigetem, & post mortem in Deorum numerum relatum, factumque Deum tutelarem illius loci *Peoris*, ubi, cùm vivus esset, habitâsset; atque ET posterius esse ἐξηγητικόν, & sic cultum sacrificiis.

Landesbibliothek Oldenburg

oculi, *at non vident.* Nam prior litera כ est nota similitudinis, significans *quasi*, & מוש *palpavit* instar cœci. *Philo Jud. lib. 2. allegor. p. 79.* (†)

IV. *Baal-Tzephon* ab Hebræis existimatur fuisse idolum, fictum à præstigiatoribus Ægyptiis, positumque in deserto, ut observaret Israelitas, & inhiberet egressum eorum ex Ægypto, unde appellatum est צפון à צפה *observare*, *speculare* instar vigilis; possumus ipsum nominare *Baalem* (*) *Speculatorem*, *P. Fagius Exod.* XIV. veluti apud

(†) Notatu dignissima sunt, quæ *Owenius* Vir θεοδίδακτος *lib. cit.* scribit: Difficultatem omnem, quòd non constet, quis Deus fuerit iste *Baal-Pehor*, parit additamentum *Pehor*. *Priapum* fuisse, negant Autores gravissimi, quoniam is sit Deus recens, & Tum temporis, imò longò post, ignoratus. At *Pehor* erat mons moabiticus. *Num.* XXIII. 28. In eo monte ædes sacra extructa erat, quæ *Beth-Peor* dicebatur. *Deut.* XXXIV. 6. E cujus regione Moses sepultus est. Ipsum idolum simpliciter *Baal* dictum erat. *Num.* XXII. 41. Baal itaque à loco, quo colebatur inter Moabitas, *Baal-Pehor* dictus est, ut *Jupiter Capitolinus* & *Olympius* (à montibus) & *Virgo Hallensis* aut *Lauretana* &c. (à locis.) Hinc *Suidas* in *Belphegor*. Βέλ, inquit, ὁ κρόνος, (sive κρόνος,) φέγγος δὲ ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἐπμάτο. Valeant ergò eruditæ sordes, quas in explicandis hujus idoli mysteriis obscœnis huc congerunt viri Docti.

(*) Verisimilius videtur, hujus Idoli nomen descendere à צפן *abscondere*; unde *Græc.* Σκέπω, & ab Hiph. *Hispania* Spanien / quòd sol se ibi abscondat, unde & *Hesperia* vel vesperia dicitur. Quare autem à צפן abscondidit? Respondeo; Vel ut notetur DEUS absconditus,

Romanos *Jupiter*, quòd fugientes ſtiterit, vocatur *Jupiter Stator*, Ζεὺς στήσιος. *Roſin. l. 2. antiq. Rom. c. 5.*

V. *Baal-Zebub* בַּעַל-זְבוּב ſonat (3) *Dominum muſcarum*, ſive *principem muſcarum*, qui dominatur agmini

ditus, vel abſcondita & arcana revelans. Sic *Pharao Joſepho* nomen dedit צָפְנַת פַּעְנֵחַ linguâ Ægyptiacâ, quod tantundem eſt, ac, *Vir cui arcana revelata ſunt*, vel *Arcanorum interpres*. Vid. *Pfeiff. Dub. vex. ad. Gen.* XLI. 45.

(3) Tres generales ſententiæ ſunt, quæ diverſimodè illud nomen idoli *Ekronitici* exponunt. 1. Sunt, qui putant proprium idoli nomen ab *Ekronitis* inditum eſſe Βεελζεβούλ בַּעַל-זְבוּל, quod ſonabit *Dominum cœli*, (vox enim זְבוּל *Eſa.* LXIII. 15. *cœlum* notat) unde apertè Cl. *Voſſius Idol. l. 2. c. 4.* ait, *Baal-Zebub fuiſſe Phœnicum Baal-Samen, & pro Baal-Zebul non Akronitas, ſed Judæos per* μυκτηρισμόν dixiſſe *Baal-Zebub*. Huic ſententiæ annuit Cel. *Cocc.* Sed pace tantorum virorum dico; putabimusne *Ahaziam* 2. *Reg.* I. 2. ignominosè notâſſe eum, quem devotè conſulebat? atque ibidem occurrit vox בַּעַל-זְבוּב. 2. *Scaliger*, citante *Voſſio*, putat *Baal-Zebub* dictum eſſe à Judæis per εὐφημισμόν, pro בַּעַל זְבָחִים *Dominus ſacrificiorum*. Verùm 3. meliori fundamento eorum ſententia niti videtur, qui putant vocem בַּעַל-זְבוּב eſſe originalem, & à Phœnicibus ſub eadem vocis iſtius ſignificatione idolum illud cultum, quod reſponderit *Jovi* μυιάγρῳ ſeu Ἀπομυίῳ & *Apolloni Sminthco*, qui etiam μυιοκτόνος voca-

agmini reliquo; quo respectu *Princeps dæmoniorum* in Euangelio vocatur Βεελζεβούβ, זְבוּב *muscam* significante. Ζητήσουσι μυῖαν Θεὸν Ἀκκαρῶν. *Quærent muscam Deum Ekronitarum. Gregor. Nazianz. Orat. 2. contr. Julian. p. 102.*

VI. Hoc idolum adorabatur à *Cyreniis*; *Plin. l. 10. c. 28.* sed præcipuè ab *Ekronitis*, quòd, dum ipsi sacra faciunt, muscæ concidant inanimes, quæ aliàs hoc tempore homines infestant. Verùm constat hanc rationem non solam fuisse, quum etiam se ad ipsum, tanquam oraculum, contulerint. 2. *Reg.* I. 2. Possumus ipsum vocare *Jovem Muscarium*, vel *Herculem Muscarium*, nam incolæ urbis *Elis* sacrificant Jovi ἀπομυίῳ, *muscarum Abactori*, & Romani *Herculi* sub eodem nomine. *Clem. Alex. in protr.*

vocatur. Alii tamen autumant ipsum idolum בַּעַל־זְבוּב non ideo dictum, quòd pelleret muscas, sed quòd non pelleret, at illæ ingenti turbâ carnes victimarum in ipsius sacello sectarentur & ligurirent, cùm nulla musca in Dei veri templo & domo mactationis conspecta sit, ut *Pirke Aboth* testatur c. 5. §. 6. 7. citante *Seldeno*. Prior autem harum duarum sententia verisimilior est. At inquies, cur ergo in N. T. Βεελζεβούλ legitur? Resp. Certum est S. Scripturam loqui de אֱלִילִים *idolis* abjectè & per subsannationem, adeo ut nomen Deorum Gentilium in cognatam probrosam vocem commutet. Audi quid dicat *Lightfoot in Matth.* XII. 24. ex Rabbinis: *Illud, quod vocant* עין כוס *fontem calicis, vocent* עין קוץ *fontem tædii (vel tribulorum.) Illud quod vocant* גריוה *fortunam, vocent* גליוא *fœtorem. Sic Bethel in Bethaven, & Barcochab in Barchoziba mutata sunt. Hâc ratione in N. T.* Βεελζεβούβ *in* Βεελζεβούλ *conversum est.*

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Quædam Græca exemplaria N. Test. legunt Βεελζεβούλ, quæ diversitas existimatur facta esse ad majorem χλευασμόν, *exsibilationem* idoli; q. d. *Jupiter stercorius*, (†) nam זבל significat *stercus*, & *Beel seu Baal Dominum*.

VIII. *Baal-Berith* erat Deus *Sichemitarum*, de cujus templo legimus *Jud.* IX. 4. בריתא notat *fœdus* sic ut *Baal-Berith* possit verti *Jupiter fœderatus*,

(†) Spiritus S. ut vanitatem & futilitatem *Idolorum* aperiat, varia per contemptum & illusionem nomina iis imponit. *Primò* vocat ea לא אלהים, *Non-Deos*, Nicht-Götter. *Secundò* אלילים, *Res nihili*, nichts nützige Dinge. *Tertiò* אונים ab און, *Vanitates*, ut notet falsum Bonum, falsum finem, falsa media, falsamque religionem. *Coco. Lex. Quartò* שקרים *mendacia*, quòd fallant spem cultorum. *Quintò* עצבים *dolores & molestias*, quòd homini nil nisi anxietatem in cultu relinquant, & conscientiam non purificent; Eademque de causa צירים *tormenta*. Conf. *Mich.* VI. 7. & *Sextò* שקוצים *Abominationes*. *Septimò* גלולים Σκύβαλα, Stercora. Et hæc idola sunt fiuntque omnia illa, in quibus fiduciam ponimus, sive sint pictæ Imagines, sive Sculptilia, sive Homo, sive Templa, sive Sacramenta, sive Mammon, sive oleum, sive aqua, sive Papa, sive liber, sive oratio, sive precatio, & uno verbo cuncta, quæ non sunt Deus.

Landesbibliothek Oldenburg

lus, (4) h. e. cui *se fœdere obstrinxerant*. Ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βάαλ διαθήκην τοῦ εἶναι αὐτοῖς αὐτὸν εἰς θεόν. *Posuerant sibi cum Baale fœdus, ut ipse esset sibi Deus.* LXX. *Interp. Jud.* VIII. 33.

IX. Quod attinet *Belum* & *Draconem*, (5) parùm exstat de ipsis, nisi id, quod de ipsorum historia *libri Apocryphi* produnt.

CAP. IV.

De Dagone.

I. HEbræorum Magistri docent, quòd hoc idolum ab umbilico in piscem desierit, sed à fronte ad umbilicum retulerit hominem.

(4) Putant quidam *Baal-Berith* esse idem cum *Baal-Peor* idolum. Alii, *Baal-Berith* fuisse fœminam *Berythi* urbis Deam. Vid. Cel. *Burman* **Utl. over Richt.** VIII. 33. Sunt tamen alii, qui cum Autore nostro putant fuisse idolum *Jovis*, qui in fœderis percussione invocatus est, ut perjuros fulmine sterneret. Hinc apud Romanos *Fecialis* seu *Pater-patratus*, cum alio populo fœdus feriens, dicebat; *Audi Jupiter* &c. quæ sententia plausibilis est.

(5) Quòd *dracones* olim apud Gentes & hodie apud Indos colantur, negari non potest. Memoriabile est, quod legitur in *Itinerario Neuhoffii* p. 99. de dracone, qui ad odorem assatarum gallinarum, aut adipis, aut aliorum benè olentium ciborum, omnes undas & pisces contra navem eam, ex qua odor prodit, commovere dicitur, & ob id colitur. In alio *Itinerario*, nescio jam quo, legitur, in India Orientali, credo in Insula *Java*, in lacu altum & cultum crocodilum, qui audito proprio suo nomine se extra undas extulerit, hominesque maleficos absorpserit.

Landesbibliothek Oldenburg

minem. (1) *R. Dav.* 1. *Sam.* V. Hoc concludunt ex 1. *Sam.* V. 4. שׁתי כפות ידיו *duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant ad limen.* Præterea dicunt quod דגון

(1) Ex profanis scriptis atque etiam sacris ὀφθαλμοφανῶς patet, *Dagonem* duplicis formæ fuisse, humanæ & marinæ; piscis erat, ut Anatomici dicunt, truncus, h. e. venter; homo erant artus, h. e. caput, manus, pedes. Abscissas ei manus, cùm cecidisset, fuisse, testatur S. Scriptura, adnatos autem caudæ pedes scribunt profani Autores. Unde LXX. loco *Samuelis* adducto verba hæc habent: ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα, *utræque pedum plantæ ei ablatæ.* Quorum verborum ne ἴχνη quidem est in Hebræo, uti loquitur *Seldenus*, explicant tamen formam *Dagonis*. *Vossius* & *Seldenus* ajunt, *Dagonem* fuisse Deam istam *Atergatem*, seu *Venerem* Syriam, quæ masculinum & fœmininum numen putabatur, & *Lunus* & *Luna*, atque ex spuma maris orta dicitur. Sed si mihi licet hariolari, putem, Phœnices in uno idolo Deum suum & Maris & Terræ adorâsse, quia ex utraque parte divitiæ ipsis affluebant. Veluti Majores nostri *Crodum* suum Deum coluerunt, qui messoris specie cinctum lineum gestabat, dextrâ ferens vasculum rosis repletum, sinistrâ erectâ currus rotam, pedibusque nudis insistens pisci squamoso & aspero, quem *percam* vocamus. Hic *Crodus* fuit Κρόνος *Saturnus*, suâ rotâ κρόνον *tempus* denotans; vasculo frugum pleno, *agriculturam.* Piscis autem notavit vel *Venerem* vel *Neptunum*, cui insidiatus est *Saturnus*. Sic *Dagon* significabit *Saturnum* & *Venerem*, quæ ex mari nata est, aut *Opem*, quæ tot Deos marinos genuit marito *Saturno*. Quòd *Dagon* piscis formam habuerit & Deam marinam notârit, antea probavimus; quòd autem quoque *Saturnum* humanâ formâ suâ retulerit, hoc videntur probare LXX. qui 1. *Sam.* V. 6. ubi de populatione legitur, addunt, in agris ipsorum natos esse mures, unde in illorum signum aurei mures facti sunt, *cap.* VI. 5. Quâ re Deus Philistæos docuit, *Saturnum* illum agrorum præsidem, & Deum ἀπομυῖον existimatum, non posse abigere mures.

Landesbibliothek Oldenburg

דגון dicatur ab Hebr. דג *piscis*, secundùm quam descriptionem ipsum vocare liceat *Philistæorum Neptunum*, vel *Tritona*, nam *Triton* non absimilem babuisse figuram fingitur. *Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus. Pier. Hierogl. l. 31. pag. 28.*

II. Alii דגון deducunt à דגן *frumentum*, dicuntque ipsum primum aratri frumentique usum invenisse, quare ipsum interpretantur *Jovem Aratrium. Philo Byblius apud Euseb. de præp. E. l. 1. cap. 7.* Hoc respectu possumus ipsum nominare *Saturnum Philistæorum*, quoniam credula Antiquitas *Saturnum* finxit primum agriculturæ repertorem, propterea que eum pinxit manu falcem tenente, quod commodissimum agriculturæ instrumentum est. *Pier. Hierogl. lib. 32. pag. 228. & lib. 56.* Utraque hæc sententia suos agnoscit Autores, & hactenùs neutra justè refelli potuit. (†)

III. Præterea non desunt inter ipsos Judæos, qui dicant, hoc idolum *Dagonis* effictum fuisse in

(†) Qui *Dagonem* & *Atergatim* idem fuisse Numen statuunt, putant id dici corruptèque scribi pro אַדִּיר דָּג *Magnificus piscis*. *Bocharti* judicio potior est veterum sententia, quâ Dagon & Atergatis vel Astarte planè diversa sunt numina. Quod planum ex Theologia Phœnicum apud *Philonem Byblium*, ubi *Dagon* frater est, & *Astarte Saturni* uxor. Ibidem Dagon redditur Σίτων *frumentarius*; quia דגון Ebræis *frumentum* est, & additur causa nominis; Ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς ἄροτριος. Sed jamjam diximus verisimile videri, utrumque genus scil. & Deum & Deam in eo idolo cultum.

Landesbibliothek Oldenburg

formam humanam. *R. Levi* I. *Sam.* V. Nihilominus opinio *Scaligeri* verisimilis videtur, quòd illi, quibus *Dagon* exponitur *Jupiter Aratrius*, sive ἀγρότης *ruricola*, errare possint & legere שָׂדֶה, quæ vox significat *agrum*, pro שַׁדַּי, quod est nomen Dei *Omnipotentis*.

CAP. V.

De Vitulo fuso.

I. HIstoria *fusi vituli* latè recensetur *Exod.* XXXII. ubi legimus populum per absentiam Mosis ab Aarone petiisse sibi fieri Deos, quibus tum ipse dederit *vitulum fusum*.

II. Ratio, cur Deum potiùs ἐν ὁμοιώματι in *similitudine vituli* adorârint, quàm alîus creaturæ, in genere ab Interpretibus hæc redditur, quòd istum errorem inbibissent ab Ægyptiis, qui vivum bovem colebant, (1) quem *Apim* vocabant aut *Serapim*,

(1) *Bochartus in Hieroz. lib.* 2. *c.* 34. probat *vitulum* non fuisse emblema *Apis* vel *Serapis*, quia horum cultus longè recentior sit, quàm egressus ex Ægypto, nec quoque *Josephum* unquam sub forma bovis cultum, uti inferiùs probare tentat Autor noster, quia *Exod.* I. 8. legitur penitùs exoleta memoria *Josephi* fuisse. Quid ergo dicemus, cur Israelitæ potiùs *bovem*, quàm aliud idolum probârint? Resp. Israelitæ aut imperârunt Aaroni μοχοποιήσαι, aut *vitulus* occultâ quâdam sorte ac manu exstitit, uti Judæi censent plerique; sed prius probabilius. Videntes ergo Israelitæ

rapim, quemque per simulacrum expressérant, fasciculo capiti imposito, *Plin. nat. Hist. l. 8. c. 46. Herodot. l. 2. Solin. c. 35.* aut juxta aliorum distinctionem 45. *Alex. Genial. Dier. l. 6. cap. 2.*

III. Hic bos certis maculis & genitalium notarum figuris signatus, à cunctis aliis diversus fuit. Corpore erat niger, candidâ fronte, in tergo albâ notâ insignis, & nodus sub lingua ejus, quem cantharum appellant. Ut has notas in vitulo insignes redderet Aaron, videtur usus fuisse בְּחֶרֶט *stylo sculptorio.* (2) Ægyptii ad istum Bovem

litæ Mosem tardare, persuaserunt sibi, forsan Mosem à flamma Dei absumptum, aut in cœlum sublatum, reliquisse Israelitis liberam optionem, quomodocunque vellent, Deum colendi. Illi igitur abducti φρονήματι σαρκὸς *carnali prudentiâ*, adspectabile Dei emblema & signum voluerunt, (nam impossibile est, Judæos existimâsse quòd Aaron posset creare Creatorem) ut haberent sub cujus nomine Deum colerent. Ita & sentit *Spencerus* c. 2. s. 1. Ejusmodi autem symbolum non invenerunt aptius, quàm bovem, dum concluderent, Deum, quum vellet tot taurorum boumque sanguine coli, capi istius animalis amore: propterea que gloriam Dei in formam bovis, quemadmodum stulta Gentilitas suum *Jovem* in bovem olim convertit. Hoc μοχθοποιήσεως peccatum Israelitas conjecit in duri vincula jugi, quod postmodùm velut vitulantes tauri subire coacti sunt, additis magistris & senioribus qui ipsos remissos & torpentes aeri παιδείᾳ *castigatione* coërcerent.

(2) *Bochartus* l. c. וַיָּצַר אֹתוֹ בְּחֶרֶט ait ambiguum esse & posse exponi sic; *& formavit illud stylo*, vel sic; *& recondidit illud in marsupio*; multisque argumentis probat posteriorem expositionem. Confer saltem 2. *Reg.* V. 23.

Landesbibliothek Oldenburg

vem accedunt reſponſa petituri & oracula. Reſponſa privatis dat, è manu conſulentium ſeu fœnum ſeu gramen capiendo; quod cùm captat, portendit felicem eventum, ſin, ſiniſtrum, *Plin. Hiſt. nat. l. 8. cap. 46.* item *Alex. Genial. dier. l. 6. c. 2. Sic mutaverunt gloriam ſuam in figuram* שׁוֹר אֹכֵל עֵשֶׂב *bovis comedentis herbam, Pſ.* CVI. 20.

IV. Vox Hebraïca, *l. c.* verſa *Bos*, eſt שׁוֹר; quod propterea annoto, quia lucem affundit alteri nomini, quo inſignitur hocce idolum; aliquando enim vocatur *Apis* ab Hebr. אַף *facies*, aliquando *Serapis* quaſi *Scher-apis*, quod nihil aliud notat, quàm *caput bovis*, quod eſt verum nomen, quo hanc idololatriam appellarunt Patres. *Cyprian. de bono Patient. p. 318. Vid.* etiam *Auguſt. & Tertull. adv. Jud. c. 1.* (*)

V. Vulgò conſtat hanc idololatriam ab Ægyptiis manâſſe ad Iſraëlitas, ſed unde eam Ægyptii hauſerint à paucis demonſtratum eſt. Non ineptiunt,

(*) Quùm veteres in Theologia ſua ἐθικῇ, μυθικῇ καὶ φυσικῇ ſuis idolis aptos ſignificatus vel quæſiverint, vel docuerint; etiam *Serapis* totam rerum Naturam denotâſſe dicitur:

Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' ὕατ' ἐν αἰθέρι κεῖτα.
Ὄμματα τηλαυγὲς λαμπρῶ φάος ἠελίοιο.

Habuit enim ille *Apis* peculiare ſimulacrum & ſtatuam, quod Autor indicavit, idque *Memphi* & *Alexandriæ*, uti *Iſis Bubaſti*:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.
Ovid. Met. l. 9.
- - - cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variisque coloribus Apis.

unt, qui putant, primam institutionem factam esse in honorem memoriamque *Josephi*, qui suâ prudentiâ Ægyptum vicinasque terras in septennali fame sublevavit. Præter testimonia præstantium Autorum, ut *Suid. in Σάραπις. Ruffin. in lib. 2. hist. Eccl. c. 23. Pier. Hierogl. l. 3. p. 25.* sunt insuper firma argumenta, quæ nobis id persuadere possunt. 1. Anni cùm affluentiâ tùm fame insignes, denotati sunt per boum apparitiones. 2. Non potest aptius emblema esse (modò non postea in idolum commutatum esset) ad alendam memoriam alicujus *Josephi*, cujus sola dexteritas frumentum & annonam in extrema fame suffecit, quàm bos, verum vivumque seduli Patrisfamilias ὑπόδειγμα. Hac in re convenit *Suidas* cum aliis, quòd hic bos effictus sit *modium capite gestans*, licèt alii insuper clarè exponant rationem hujus effigiei, scil. ad denotandam copiam & abundantiam frumenti à *Josepho* tempore famis divisam.

VI. Quantum ad (†*) peccata Israelitarum in hac μοχοποιΐᾳ *vituli fictione*, hodierni Judæi omnem

(†*) Non censendi sunt soli *Israëlitæ* istius peccati & idolomaniæ rei. *Omnes illi, qui vel aspectabili aliquo signo* putant suo arbitrio relictum esse honorare Deum, vel quùm ille ipsis præsens non sit nec sentiatur, eum in externis symbolis quærere & colere; *vel qui necessarium putant*, suoque arbitrio relictum, *ut populus statuat, quomodo omnia ordine agantur, & imprimis, ut habeat aliquod symbolum, quod omnes unà sequantur. Cujusmodi sapiens cogitatio in Babylone fuit illa de constituendo nomine. Gen. XI.* Ita loquitur Summus Theologus *Coccejus Comment. in Exod. XXXIII. §. 2.*

Landesbibliothek Oldenburg

omnem culpam rejiciunt in Ægyptios proselitos, qui cum Israelitis egressi sint, dicuntque hos Ægyptios, *Aarone* res pretiosas in ignem conjiciente, suis præstigiis & magicis artibus *vitulum* produxisse, quo fine ipsius *Aaronis* verba urgent: *Conjeci aurum in ignem*, ויצא העגל הזה *& prodiit vitulus iste*; *Exod.* XXXII. 24. quasi is non factus esset ipsius arte aut arbitrio sed spontè ita evenisset. Verùm hæc ipsius responsio ostendit potiùs, quàm vana sit hominis mens, ad colorandum peccatum; & quemadmodum instrumentum sculptorium peccatum *Aaronis* altè impressit, ita illud confessio saniorum sapientiorumque Judæorum adversùs se promulgat, quando ajunt: אין לך ישראל פורענות שאין בה אנקיטא מעון העגל *Nulla ultio obvenit tibi Israel, in qua non sit uncia perversitatis vituli illius. Moses Gerund. vid. Munster. Exod.* XXXII.

VII. Claudam hoc caput conformitate, (†) quæ intercedit inter *Apin* & *vitulum fusum*, quæque in

(†) Illa analogia inter *Apin*, seu *Serapin* & vitulum fusum satis clara est. Forsan eò magis Israëlitæ in ejusmodi Bovem effigiandum propensi fuêre, quòd in Ægypto simile quid viderant, & Ægyptiorum χαρμόσυνα, lætum *Serapis* festum, unà celebrarant. *Moses* verò & in pœnam, ludibriumque Israelitarum Ægyptios imitatus, in cineres redactum vitulum undis mersit. *Lucan. lib. 9.*

. . Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis.

Papin. Prop. . . Aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

Landesbibliothek Oldenburg

in tribus consistit: 1. Quemadmodum quædam peculiares notæ in bove Ægyptiaco erant, ita plausibile est, *Aaronem* ejusmodi notas & insignia stylo suo sculptorio expressisse. 2. Quemadmodum Ægyptii suo bovi solenne festum celebrabant multo jubilo & lætitiâ; *Suidas in voce* Ἄπις. Ita Israelitæ proclamarunt festum suo πτερόποδι *quadrupidi; populusque consedit ad edendum & bibendum, & deinde surrexerunt ad ludendum, vers.* 5. 6. 3. Quemadmodum tandem bos Ægyptiacus undâ submersus est, ita *Moses* vitulum fusum combussit, commoluitque in pulverem, (3) & dispersit per torrentem. *Exod.* XXXII. 20. *Deut.* IX. 21.

VIII.

(3) Hic tria quæruntur. 1. Quomodo *Moses* aurum combussisse dici possit? 2. Quomodo commoluisse? 3. Cur aquas adsperserit pulvere? Resp. 1. Plurimi Interpretum dicunt *comburere* esse pro *liquefacere*, veluti Romani *ustrinam* vocant locum, in quo metalla conflantur. Sed vereor ut satis commodè. Nam si *Moses* deinde commoluit aurum, in quem usum liquefecit? cùm vitulus aureus liquefactus æquè durus & difficilis contritu sit, quàm si in primo statu commoleretur? Nisi malimus cum aliis arbitrari, *Mosen* artis Chymicæ non fuisse rudem, sed scivisse illud aurum reddere fluviatile & potabile. Putem ergo hic intelligi combustionem propriè sumptam, scilicet aut instrumentorum cultûs vitulini, aut vituli lignei, qui undiquaque obductus fuit auro, velut arca & mensa panum. Si enim statuamus vitulum (qui citra dubium non exiguæ staturæ fuit) merum aurum fuisse, non sufficient conflando illi ἐνώτια *inaures* mulierum. 2. Limâ contrivit aurum, ejusque tenuibus ramentis & pulvisculis conspersit aquam seu torrentem montis *Hureb*, ex quo hauriebant omnes Israelitæ. 3. *Moses* aquas scobe illâ aureâ conse-

vit,

VIII. Postea *Jerobeam* ejusdem iniquitatis autor fuit, licèt aliam ob rationem; volvebat enim animo suo, fore, si populus adscendat Hierosolymam Sacra facturus in domo Jehovæ, ut desciscat, & redeat ad pristinum dominum Regem Jehudæ. Quapropter fecit *duos vitulos aureos*, posuitque alterum *Bethele*, alterum *Dane*, dicens: רב־לכם מעלות ירושלים *nimium est vobis ascendere Hierosolymam.* 1. *Reg.* XII. 26. 28.

CAP. VI.

De Astharoth, Ammonia Junone, Regina cœli, & Diana Ephesina.

I. QUemadmodam *Sol* sub variis nominibus adoratus est, ita & *Luna*. עשתרת *Astboreth* erat idolum, præprimis *Sidoniorum*. 1. *Reg.* XI. 5. 2. *Reg.* XXIII. 13. Habuit suum templum dictum בית עשתרות *Domus Astharoth*, in quo

vit, ut Israelitæ transgressores biberent iniquitatem manuum suarum, quo ipso testarentur se meritos esse, ut illa execratio descenderet in omnia ipsorum vitalia. Nugæ sunt Rabbinorum, qui putant id factum, ut signo aliquo frons eorum, qui se illâ idololatriâ contaminaverant, notaretur. Scholastici quidam barbas reorum rutilasse scobe aureâ dicunt:

Hebræi tradunt Mosem fecisse quod audis,
Ut sciret solos hâc ratione reos.
Nam rutilans auro monstrabat barba nocentes,
Dum patulo latices fluminis ore bibunt.

Landesbibliothek Oldenburg

quo suspenderunt arma Saulis Philistæi. 1. *Sam.* XXXI. 10. Horum anathematum oblationem primò didicerant ab Israëlitis. *Num.* VII. 1. *Sam.* XXI.

II. *Lunam* sub hoc nomine adoratam fuisse probatione non indiget. Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σελήνην εἶμεναι. *Astartem autem ego opinor Lunam esse. Lucian. de Dea Syria*; nisi quòd quidam asserant *Astartem* esse *Junonem. August. super Jud.* q. XVI. Sed & *Junonem* sæpe pro *Luna* habitam fuisse, vix negari potest.

III. *Luna* & *Juno* sæpè vocantur eodem nomine, *Urania*. Nam *Astarte Urania* idem omninò valet apud Phœnicas, quod *Juno Lucina* apud Latinos. Deducitur *Urania* ab Hebr. אור *Lux*, נ in fine adjecto, aut per se solum, aut cum י quod passim fit à Syris, quasi אורן vel אורני *Lucidus* aut *Lucinus*, in Fœminino verò אורניתא *Lucida* aut *Lucina*; hincque Græci suum οὐρανὸν *cœlum lucidum* mutuati sunt. Ac quemadmodum *Luna* respectu sui luminis vocatur *Urania*, ita respectu minorum syderum cœli vocatur (†) *Astharoth*, Ἀστροάρχα, ὡς τὴν τῶν ἀστρῶν ἀρχὴν *ab imperio, quod*

 in

(†) Multi, præsertim Græci, qui semper fuerunt, pictores, & poëtæ & fictores Deorum mendaces, in deducendo hujus Deæ nomine ineptierunt. *Athenæus Deipnos. l.8. Gatin* Reginam quandam fingit, quæ edictum promulgârit, ne quis ἄπερ γάνδος h. e. præter Gatidem pisces ederet, inde prodiisse nomen Atergatis. Vide *Owen. ic. lib.*

in astra exercet. Vid. *Herod. lib.* 5. *Regina planetarum*, vel, quemadmodum *Horatius Epod. carm. sæculari* ait de *Luna*, *Syderum Regina*, vel, uti *Virgilius* loquitur de *Junone*, *Æneïd.* 1. *vers.* 50. *Ast ego, quæ Divûm incedo Regina*; verisimile videtur, quòd hæc sit מלכת השמים *Regina cœli*, de qua fatur Propheta *Jer.* VII. 18. XIV. 17.

IV. Deinde cui gentes vetustæ videri possint exhibuisse solennem cultum istum, quo functi sunt singulis Calendis, nisi *Lunæ*? & tamen iste cultus tribuitur *Junoni*, unde ea dicitur *Juno Calendaris. Macrob. Sat. l.* 1. *cap.* 15.

V. Tandem, quemadmodum *Jupiter Ammon* non alius fuit quàm *Sol*, qui colebatur sub forma *arietis. Idem Sat. l.* 1. *c.* 21. Sic, quantum video, *Luna* dicta est *Juno Ammonia*, *Cœl. Rhodig. l.* 18. *cap.* 38. & culta sub forma *ovis*. Scio, quòd Hebræorum Magistri scribant, simulacrum *Astharoth* fuisse

c. lib. IV. *Cap.* 8. Verisimillimum est, id idoli nomen derivari à Lucis, in quibus colebatur ista Dea, אשרות dictis. Uti pluribus postea docebitur. Certè LXX. locum 1. *Sam.* VII. 4. ויסירו הבעלים ואת־העשתרות Et *summoverunt Baalim & Astharoth*; ita transferunt, καὶ περιεῖλον τοὺς Βααλὶμ καὶ τὰ ἄλση Ἀστρώθ, & *saltus Astaroth*. Rursus 2. *Chron.* XV. 16. *Et removit Rex Assa matrem ne esset Domina* (& haberet autoritatem) *quòd fecerat* לאשרה מפלצת *in saltu terriculamentum*, seu horrorem inducens idolum. LXX. vertunt ita; καὶ μετέστησε τὴν μητέρα αὐτοῦ, τοῦ μὴ εἶναι λειτουργοῦσαν τῇ Ἀστάρτῃ.

isse *ovem. R. D. Kimchi.* 1. *Sam.* XXXI. 10. Item *Jud.* II. 13. Et quòd vox עַשְׁתָּרוֹת *Astharoth* linguâ originali significet *gregem ovium.* (1) Præterea

(1) Hebræorum Magistri fingunt sub imagine *ovis Astartem* esse cultam, sed nugas esse graves Autores perhibent. Putant alii ita dici in Plurali *Astharoth*, à *multitudine ovium*, quæ in ipsius honorem mactatæ sint. Verùm Cl. *Seldenus* demonstrat illud vocabulum deduci ab אַשְׁרוֹת *Lucus*, quòd ea Dea culta sit in *lucis* & quidem in variis locis, tam in Syria, quam in Europa, veluti dicitur *Diana Nemorensis*, *Arduenna*, *Dea Albunea*; unde à pluralitate locorum nomen plurale nacta est. *Astarten* Syriæ Deam celeberrimam in toto terrarum orbe fuisse constat. Creditur ergò à quibusdam fuisse *Venus mammata*, quæ & *alma* dicitur, & gestâsse caput taurinum, ex quo cornuti ignes exiverint; ab aliis *Juno*; ab aliis *Europa Agenoris* Phænicum Regis filia, quam *Jupiter* in taurum mutatus rapuit: sed & hæc *Europa* videtur mihi notâsse *Venerem*; nam patet omnes egregiæ formæ fœminas ab Antiquis pro *Veneribus* habitas. Nam unde aliàs tot *Veneres*? *Venus Cytherea*, *Erycina*, *Venus Genitrix*, Ἀφροδίτη, *Paphia*, *Alma*, *Verticordia*, *Biformis*, *Barbata*, *Armata* &c. quemadmodum varii *Vulcani*, *Joves*, & *Junones* fuerunt. Deorum nomina sæpe commixta sunt, sic & Dearum; adeo ut, sicut *Jupiter*, *Saturnus*, *Titan*, &c. pro uno eodemque *Sole* sumuntur, sic *Venus*, *Juno*, *Dagon*, *Isis*, *Hecate*, *Lucina*, *Proserpina*, *Diana*, *Atergatis*, *Astarte*, *Derceto*, communis *Venus* sit seu Dea, denotetque *Lunam*, nisi quòd diversis in locis diversis nominibus, diversitatem effectuum denotantibus, culta sit. Non tantùm autem ita Dearum nomina commixta sunt, sed sæpè Dii Dearum, Deæ Deorum nominibus insigniuntur, sic ὁ Βαὰλ dicitur ἡ Βάαλ *Rom.* XI. 4. uti *Lunus* & *Luna*, *Venus Barbata*, Ἀφρόδιτος; cui Deæ in *Atthide* Insula viri cum veste muliebri, & mulieres cum virili, sacrificium fecerunt. Huc facit

Luna æquè potest vocari *Ammonia*, ac *Sol Ammon*, utroque nomen suum ab חמר *calor* ducente; unde & illa idola, de quibus legimus *Lev.* XXVI. 30. *Esa.* XVII. 8. XXVII. 9. vocantur חמנים, quia erant idola posita in tectis ædium, & quasi in *Sole* apricabantur. *R. Salom. in Lev.* XXVI. 30. Insuper quemadmodum *Jupiter Ammon* effingebatur *cornibus*:

Stat corniger illis Jupiter. Lucan. l. 9. vers. 514. Ita etiam *Luna*.

Syderum Regina bicornis audi.
Luna puellas. Horat. Epod. carm. sæculari.

VI. Cur

cit simulacrum Germanorum antiquorum *Veneris*, quam vocârunt die Frea oder Frigga (unde dictus est Freytag & Frau) quæque superiori corpore ut miles mas vestita erat, inferiori ut fœmina. Hujus autem μετεμορφώσεως rationem hanc esse puto. Quum Idololatræ suis Diis asseruissent corpus, omnes simul ejus concupiscentias, quas in se deprehenderunt, iis quoque esse concluserunt. Hinc Diis uxores copulârunt; quas cùm κυρίως deas non posse esse cernerent, nisi in æquali cum Diis statuerentur sorte & non subjectæ maritis, Deas subinde Deos, Deosque Deas vocârunt. Redeamus ad *Astartem*; ea ergo fuit *Alma Venus Asiatica*, quam & coluerunt Afri & Europæi; (vid. *Cic. lib. 3. de nat. Deor.*) quamque Gothi antiqui *Astergydia* & Astargod nominârunt. Hîc notandum, quòd quidam putant, Syrorum vocem *Astharoth* hinc derivari, quia Astargod sit origine Gothicum vocabulum & compositum ex Astar / quod significat die Liebe / & God Gott; ut hodie Astargod sonet die Liebes-Göttin.

Landesbibliothek Oldenburg

VI. Cur autem ita *Sol & Luna* (†*) effigiati sint, variæ rationes adduci possunt, quas inter tres præcipuæ sunt. Prima *Soli* propria est, duæ posteriores *Soli* & *Lunæ* communes. 1. *Sol* effigiatur *cornibus arietinis*, quia Astrologis *aries in Zodiaco* anni initium est. *Pier. Hierogl. l.* 10. 2. Quia sicuti robur animalium cornigerorum in cornibus latet, sic vis & influxus *Solis* & *Lunæ* corporibus sublunaribus infunduntur radiis ipsorum. 3. Quia *Solis Lunæque* radii cornutum quasi ejaculantur splendorem.

VII. Cùm Moses descenderet è monte Sinaï, Aaron & omnes filii Israel viderunt כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו *quòd radiaret cutis vultûs ipsius. Exod.* XXXIV, 29, 30. *Latini* legunt, *Facies ejus erat cornuta.* Hinc *Moses* pingitur *cornutus*; nam Hebraïcum קֶרֶן (unde κέρας & *cornu* excreverunt) significat *in modum cor-*

(†*) Quare קֶרֶן tùm *cornu*, tùm *splendorem* notet, dignum est, ut inquiramus. [1] *Cornua*, ubi lævigantur, aut limpidissimo oleo replentur, (quod antiquis solenne erat, unde קֶרֶן הַשֶּׁמֶן *cornu olei*) coruscare videntur. [2] Et ut robur animalium est in cornibus, quibus impetunt adversos, ita vis est in splendore, cùm radiantium luminarium cælestium, tùm angelorum & glorificatorum hominum. Fugiunt & horrent istam vim Diaboli & improbi. [3] Forsan & à refractione radiorum, quæ eos in cornua vertit, commune nomen est. Latinis *Corusco* est à קֶרֶן, legentibus fortè קֶרֶן, *Tsain* pro *Nun*. Hinc *Reges* & à *potentia*, & à *coruscatione*, & ab *unctione*, dicuntur *cornua*. *Dan.* VIII, 3. &c.

Landesbibliothek Oldenburg

nuum splendorem radiosque emittere. Errori autem isti viam stravit ambiguitas vocis קֶרֶן, quæ & *splendorem* & *cornu* notat; sic ut ipsorum Rabbinorum quidam *splendorem* Mosis exposuerint per קַרְנֵי הַהוֹד *cornua magnificentiæ. R. Salom.*

VIII. *Luna* adorabatur quoque sub nomine (2) *Dianæ*, quæ, licèt per totam Asiam coleretur,

(2) *Cicero lib. ult. de nat. Deor.* plures *Dianas* fuisse scribit. Sic dicta est *Diana Pergæa* à *Perga* Pamphiliæ oppido, in quo templum habuit insigne; item *Diana Taurica*, quia in regione Taurica templo & victimis humanis culta. *Amm. Marc. l. 22. Ovid. de Pont. l. 3. Eleg. 2.* Hinc *Lucanus lib. 1.* quoque canit:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Diana autem *Ephesina* fuit *Jovis* & *Latonæ* filia, uno partu cum *Apolline* edita; vocaturque aliàs *Noctiluca*, *Lucina*, *Juno*, *Proserpina*, *Hecate*, *Dictynna*, ratione variorum effectuum *Lunæ*. Colebatur præcipuè propterea, quia cum fratre suo *Apolline* seu *Sole* terram fœcundare & agriculturæ præesse credebatur. *Hieronymus in Ep. ad Eph.* ait: *Erat Ephesi templum Dianæ & ejusdem in ipso Multimammia, id est, multarum mammarum effigies, quâ cultores ejus decepti putabant eam omnium viventium nutricem.* Scil. habebatur pro *Patrona* parturientium & agricolarum, uberibus suis genus humanum sustentans; hinc inventi sunt nummi inscripti, *Diana Polymammia*: propterea que in ejus & *Apollinis* honorem habitum est festum, quod vocârunt θερεγήλια & θαλύσια, quo in ollis coctæ sunt primitiæ frugum, & factus est panis θαλύσιος seu θέρεγηλος; quâ ceremoniâ mihi videtur Satanas imitari voluisse לֶחֶם הַבִּכּוּרִים *panem primitiarum*, seu munus novum. *Lev.* XXIII. 15. 20.

retur; majori tamen in honore & pretio apud *Ephesios* fuit. Hinc illa vox Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, *Magna est Diana Ephesiorum. Act.* XIX. 28. *Macrob. Saturn. l.* 1. *cap.* 15. Illius magnificentiæ testis exstat partim templum Ephesi exstructum, quod *Plin. l.* 36. *cap.* 14. ait factum ducentis viginti annis à tota Asia, quos annos tamen bonus vir ad quadringentos extendit *lib.*16.*cap.*40. partim quæstus magnus, qui præbebatur fabris, τῷ ποιεῖν ναοὺς ἀργυροῦς *faciendo delubra argentea.*

IX. Multùm digladiantur Interpretes, quid fuerint *hæc delubra argentea?* Sunt qui putant fuisse *ædiculas*, *cistulas*, quæ ob exiguitatem circumferri potuerint, formâ suâ templum *Dianæ* reddentes, & intra se simulacrum *Dianæ* continentes; quo sensu ναΐδια aliquando usurpantur pro ejusmodi *capsulis*, quibus *custodiebantur idola.* (3)

(3) Verisimile est illos ναοὺς ἀργυροῦς fuisse tales *capsulas*, quibus secum homines idololatræ Dearum Deorumque simulacra circumtulêre; quemadmodum Pontificii suas cruces aut alias imagunculas sæpè *cistulis* recondunt. Quapropter quædam *Exemplaria N. T. Græca* post verba, ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς, *faciens delubra argentea Act.* XIX. 24. addunt, ἵστως σκιβώρια μικρά, *quasi capsulas parvas.* Sic quidam *Alexandri Magni* figuram, quem inter Deos numerabant, gestabant ubivis, persuasi se ab eo adjutum iri. Sic quoque *Asclepiades* Philosophus apud *Amm. Marc. lib.* 22. legitur, *Deæ cœlestis argenteum breve figmentum, quocunque ibat, secum solitus afferre.* Non autem credibile est ipsos hæc idola nuda in loculis reposuisse. Vereri enim ipsos oportebat, ne, si illas imagunculas adeo crudè tractarent, & continuo loculorum motu nares & os illarum atteri paterentur, ab iisdem ultionem parisque relationem expectare cogerentur.

Landesbibliothek Oldenburg

Alii existimant, aliquam monetam dictam fuisse *Dianæ* templum, ab illius templi simulacro, huic monetæ aut insculpto aut impresso. Veluti in Anglia quædam monetæ argenteæ vocantur *Georgius*, quædam *Angelus*, quædam *Carduus*, ab impressa figura.

X. Similis mos monetas appellandi ab impresso aut insculpto signo, usitatus quoque fuit Antiquis; hâc ratione Athenienſium nummos quosdam, *boves*; alios, κόρας *puellas*; quosdam Corinthiorum, πώλους *pullos*; quosdam Peloponnesiorum, χελώνας *testudines*; quosdam Romanorum, *naves* vocabant. Imò usitatissimus fuit nummus, cui impressum erat templum *Dianæ*, his additis Capitalibus literis: DIAN. EPHE. *Th. Beza* meminit *in suis ad Acta annotationibus*, se duos eorum vidisse.

XI. Legimus quoque & alium adhuc idololatricum cultum, *Lunæ* præstitum; ubi *viri* se obtulerunt in habitu muliebri, & *mulieres* in habitu virili, quòd credebant, *Lunam* & *marem* & *fœminam* esse, unde illa apud Autores tam *Lunus* dicitur quàm *Luna*. (*) Et *Venus*, quam *Philocorus* ait

(*) Superius *nota* [1] rationem diximus, cur ambigentes circa Deum Gentes, utrumque genus Diis & Deabus tribuerint. Sunt qui, quùm putent Solem quoque *Reginam cœli* appellari, observant, שֶׁמֶשׁ *Solem* aliquando generis fœminini æque ac masculini esse; & contrà יָרֵחַ *Lunam* semper masculino genere venire, atque hanc rationem

ait *Lunam* esse, æquè dicitur *Deus Venus*, ac *Dea Venus*. *Macrob. Saturn. l. 3. cap. 8.* Non absimilem idololatriam in cultu *Veneris* prodidit *Julius Firmicus de errore prof. Relig. cap. 4.* Quidam censuerunt Deum respexisse hoc idololatriæ genus *Deut.* XXII. 5. Ubi viris interdicitur gestare vestimenta muliebria, & contrà. *Maimon. in more Nebochim part. 3. cap. 38.* Verùm in genere & cum majori fundamento creditur ibidem vetari promiscuus vestium usus, quo distinctio generis tollitur.

CAP. VII.

De aliis Diis, qui referuntur in S. Scriptura.

I. EXistimo, quod *Sol & Luna*, magna cœli luminaria, præcipua fuerint idola, quæ coluêre Gentes. Nihilominùs cœca ipsorum devotio cæteros quoque planetas divinitate donavit; imò minorum luminarium grex, qui in S. Scriptura vocatur *Militia cœli*, & *exercitus*, & cujus singularis natura, proprietates, & influxus non adeo seorsim noscuntur, ipsorum ἀποθεώσει mactus est.

tionem esse putant, cur *Lunus* & *Luna* dicatur. Sed Hæc ratio, quùm Grammatica sit, minimi æstimanda est. Potius crediderim, Gentes facilè conjecisse, Deum generis neutrius, generis communis, & generis omnis, homines verò præprimis αὐτῶ γένος esse.

Landesbibliothek Oldenburg

II. Simili ratione mentio fit in S. Scriptura *exercitûs idolorum*, de quibus parum aut nihil plus ad rem ab Autoribus proditum est, quàm de ipsorum nominibus. Hujus generis fuerunt חדרי משכית *cubicula* illa *imaginis*, in quibus omnes formæ reptilium expressæ erant in pariete, *Ezech.* VIII. 10. 12. quæque vocare licet *Pantheon* ipsorum.

III. In illis coloniis, quas trajecit Rex Assyriæ in Samariam, quævis natio suæ gentis Deum coluit. *Babylonii* fecerant סכות בנות *Succoth-Benoth*; Homines *Cuthi* fecerunt נרגל *Nergalem*; Homines *Chamathæ* fecerunt אשימא *Aschimam*; *Havæi* fecerunt נבחז *Nibchazum* & תרתק *Tharthacum*; *Sepharvæi* combusserunt filios suos igne לאדרמלך *Adrammelecho*, & ענמלך *Anammelecho*, *Diis Sepharvæorum*. 2. *Reg.* XVII. 30. 31.

IV. Hebræorum Doctores dicunt, quòd (1) *Succoth-Benoth* fuerit effigies *gallinæ cum suis pullis*. *R. Sa-*

(1) Explódunt has Rabbinorum liras *Seld. l. 2. c. 7.* & *Vossius idol. l. 2. c. 22. putantque* סכות בנות, quæ vox sonat propriè *tabernacula filiarum*, non fuisse idolum, sed templum *Veneris Uraniæ*, quam *Herodotus* ait dictam esse Μύλιττα apud Assyrios. In quo templo Deæ *Mylittæ*, puellæ corollis redimitæ, sedentesque in spatiis, quæ funiculis erant distincta, hospites opperiebantur, qui solutâ

R. *Salomo Jarchi.* 2. *Reg.* XVII. R. *David Kimchi* non dissentit. *Nergalem* exponunt (2) *gallum sylvestrem*; *Aschimam*, (3) *capram*; *Nibchazum*, (4) *canem*; *Thar-*

lutâ mercede & invocatâ *Venere*, immissoque in sinum pretio, dicebant meretriculæ; Ἐπικαλέω σοι τὴν θεὸν Μύλιτταν. Tales autem corruptos mores valuisse apud *Babylonios*, clarè testantur Autores profani. *Curtius l.* 5. *c.* 1. ait, *Liberos conjugesque cum hospitibus stupro coire, modò pretium flagitii detur, parentes maritosque pati*, &c. cumque obscœnitatem mulierum notâsset, subjungit: *Nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginumque, apud quas comitas habetur vulgati corporis vilitas.* Huc putatur respicere lex illa *Lev.* XII. 29. Inter commiscendum facilè rumpebantur funiculi illi juncei; unde fluxit illa phrasiologia, *zonam solvere.* Vid. quæ leguntur in *Apocryph. Baruc.* VI. 10. 41. 42. 43.

(2) Qui putant *Nergal* fuisse *gallum*, dicunt *Solem* sub ea figura cultum, quum *gallus* sit constitutionis calidioris. Sed hæc sententia non placet *Seldeno Synt.* 2. *c.* 8. qui potiùs putat vocem *Nergal* denotare *cultum ignis*, & derivari à ניר *Nir* & גל *gal*, vel גלגל, vel גלל, & posse verti πυρολατρίαν *cultum lucis* seu *solis*, qualem peregerunt Chaldæi, & Nahor, Abrahæque majores. *Gen.* XXXI. 53. *Jos.* XXIV. 2.

(3) *Selden. Synt.* 2. *c.* 9. fatetur se nescire, quale idolum אשימא fuerit. Plerique Hebræorum *hircum* exponunt. Multæ gentes *hircos* adorârunt, quemadmodum Ægyptii *arietem.* Alii volunt *cercopithecum* fuisse. Vid. *Juven. Sat.* 15. *l.* 5. Quid si *Pan* statueretur esse?

(4) Creditur vox נבחז descendere à נבח *latrare*; & eâ indigitari *Hecate* seu *Diana*, venationis Dea, quæ vocatur

Tharthacum, *asinum*; *Adram-Melechum*, (5) *mulum*; *Anam-Melechum*, (6) *equum*.

V. Vix credibile fuerit, hujusmodi bruta animalia pro Diis culta esse, nisi hoc usitatum fuisse Gentilibus abundè testarentur Autores profani. *Lucian. l.* 16. *de Dea Syra* testatur, *gallum* à Syris adoratum esse pro Deo. *Herodot. in Euterp.* refert, *capellam* Mendesiis cultam fuisse. Alii produnt *canem* ab aliis divino honore affectum. *Cicero de legib. l.* 1. *vid. Tiraquel. in Alex. ab Alex. l.* 6. *it. Diodor. Sicul. l.* 18. Imò in Deorum numerum retulerunt, *Boves*, *Leones*, *Aquilas*, *Lupos*, *Crocodilos*, *Catos*, *Glires* &c. *Alex. Neapol. l.* 6. *c.* 26. Et ipsi horti genuêre Deos, *Porrum* & *Allium*.

Porrum

catur *Tergemina*, item *Triceps*, quia tria habebat capita, dextrum equinum, sinistrum caninum, medium suis agrestis. Vid. *N. Comit. myth. l.* 3. *c.* 15. Sed quid obstat, quo minùs intelligamus *Mercurium*, qui ob sagacitatem sub canis forma in Ægypto cultus est? *Anubis* enim Ægyptiorum Deus canino capite effictus est. *Virg. Æneïd.* 8. *vs.* 698.

Omnigenûmque Deûm monstra, & latrator Anubis.

(5) Quòd *Adrammelech* & *Anammelech* eadem cum idolo *Molocho* fuerint, patet ex 2. *Reg.* XVII. 31. nisi quòd additio ad vocabulum *Molochi* facta est, quemadmodum *Pehor* ad *Baal*. Vid. *supr. cap.* 2. *Adrammelech* præterea, Rabbinorum fide, effigiem *muli*, aut, ut alii volunt, *pavonis* (quæ avis *Junoni* sacra est) gessit.

(6) Quidam Rabbinorum *Anammelechi* simulacrum ajunt fuisse *equum*. Certè ἱππολατρείᾳ frequens fuit Orientalibus populis. 2. *Reg.* XXIII. 11. Alii *phasanum*, alii *coturnicem*. Vid. *Seld. Synt.* 2. *cap.* 9.

Landesbibliothek Oldenburg

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! *Juven. Sat.* 15. *l.* 5.

VI. His adjungi potest, 1. נִסְרֹךְ (7) *Deus Assyriorum*, qui videtur suum templum habuisse in urbe *Ninive* 2. *Reg.* XIX. 37. & *Esa.* XXXVII. 38. Et 2. רִמּוֹן, quæ vox significat *malogranatum*. (8) Quòd attinet hoc idolum, multum disputatur, num *Naaman* peccârit, dicens: *In hac re remittat Jehova servo tuo, quando ibit dominus meus in domum Rimmonis, ut incurvet se ibi, & is nitetur manu meâ, egoque me incurvo in domo Rimmonis.* 2. *Reg.* V. 18. Resp. Lege verba hæc in Præterito, *Quando ivit dominus in domum Rimmonis*, & sic patebit, ipsum flagitare remissionem præteritorum peccatorum, non futu-

(7) *Selden. Synt.* 2. *c.* 10. fatetur, se ignorare, quid idoli sit נִסְרֹךְ *Nisroch.* *Notæ Biblior. Germ.* dicunt fuisse *Deum Ninivitarum.* *Kircherus in Pantheo* putat fuisse *naviculæ imaginem*, quæ repræsentârit arcam Noæ; diluvium enim, item arcæ quietem & reliquias fuisse Orienti notissimas. Quæ verba citant Cl. *Leusd. Phil. Hebr. mixt. diss.* 43. & *Beyerus in addit. ad Seld. Synt.* 2. *c.* 10. Sicut נִסְרֹךְ tantundem sit, ac נסרא נוחא, quod Chaldaïce sonat *asserem Noachi.*

(8) Quia vox רִמּוֹן *malogranatum* significat, propterea quidam putant *Beth-Rimmon fanum* esse *Pomonæ*, aut *Veneris*, cui quoque poma erant dicata. Quid, si à רום *altum esse* deducam, & indigitari putem *Jovem Altitonantem?*

futurorum. (9) Eadem vox, נבוא *intrando*, ponitur pro tempore præterito in titulis *Psal.* LII. & LIV. Denique 3. נבו *Nebo*, (10) aliàs *Nabo*, idolum Assyriorum. *Jer.* XLVIII. 1. Nomen ducit à נביא *Propheta*. Non videtur differre ab illo *Nebone* Ζεὺς βελαῖος, sive Ζεὺς μηλιέτης, *Jupiter consilii*

(9) Quomodo hoc de futuro tempore commodissimè capi possit, vide *Monm. l. 2. cap. 16. §. 149.* Veruntamen omnes circumstantiæ, præprimis, quòd Dominum & Terram idololatram non reliquerit, nec in Terra Israëlitica manserit, suadent, in futuro omnia esse capienda. Quod & *Burmanno*, Præceptori olim nostro *Comment. 2. Reg.* V. placet. Naaman ergò intravit ædem Rimmonis, non quidem ut isti idolo, sed ut Regi suo serviret, conscientiâ tamen hæsitante. Noluit autem Propheta vel laudare vel roborare introiturum, vel quassare calamum debiliorem & νεόφυτον, sed animum viri respiciens, *ito*, dixit, *in pace.*

(10) *Nebo* seu *Nabo* vocatur hoc Assyriorum idolum, quod *Vossius* putat esse *Lunam*; quia *Esa.* XLVI. 1. *Nebo* penes *Belum*, h. e. Solem, ponitur. Hoc nomen quoque gerit jugum montis *Abarim Deut.* XXXII. 49. in quo fidelis Dei servus humatus dicitur. Forsan, quia Mosis fama totum terrarum orbem perrupit, audito, hoc in monte ipsum decessisse, Assyrii in ipsius honorem suo idolo nomen *Nebo* indidère. De Mosis in isto monte sepulcro casum non minùs certum quàm mirabilem habes in *Hist. Eccl. Hornii ed. Lips. cum not. Hartnacc. p. 664.* Vid. & *Diss. Crellii de sepult. Mosis.* Certè plura Exempla historiæ suppeditant de exuviarum Sanctissimorum virorum ἐυωδίᾳ. Verùm quid putemus denotari, quòd Moses sepultus sit in monte *Lunæ*, è regione Montis Baalis, seu *Solis? conf. cap. 3. §. 3. not. †.* Forsan Legislatorem notavit non attingere nec ducere ad fastigium Christi.

Landesbibliothek Oldenburg

consilii præses, frequens in *Homero*. *Diodorus Siculus* *l.*5.27. utrumque pro uno eodemque sumit. Nos possumus *Nebonem* transferre, *Ammonem Assyriorum*, seu *Jovem Vaticinum*.

CAP. VIII.

De peculiari Oraculorum & χρηματισμῶν ratione.

I. QUemadmodum *idololatria* originem duxit ex πρεβλώσει (†) & abusu S. Scripturæ, ita *præstigiæ*, quæ affines sunt *idololatriæ*, videntur primùm ortæ ex imitatione *Divini Oraculi*. *Deus locutus est* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Hebr.* I. 1. בחלמות באורים בנביאים *per somnos, per Urim, per Prophetas*. 1. *Sam.* XXVIII. 6.7. Jehovâ per nullum horum Sauli respondente, quæsivit ille *Pythonissam*.

II. His modis addi potest Dei oraculum *è medio Cherubinorum*, ac responsum *per visionem, per Angelos, per vocem*. Sed præcipui revelationis modi à magistris Hebræorum notati quatuor sunt, quos vocant *quatuor Prophetiæ*, seu *Divinæ revelationis gradus*. *P. Fagius in Exod.* XXVIII. Propterea, ubi quid dixerimus de his, propositum nobis est explicare peculiaria *divinationum illicitarum* genera, quorum meminit S. Scriptura.

III. *Primus*

(†) De Origine vera & prima idololatriæ supr. *cap.* 1. §. 7. *not.* † actum est.

III. *Primus* gradus fuit נבואה *prophetia*; scilicet quando Deus suam mentem voluntatemque exposuit per *visiones* & *revelationes*. (†*)

IV. *Secundus*, רוח הקדש *Inspiratio Spiritûs Sancti*, quâ quis circa visiones & revelationes potuit prophetare.

V. Quidam, ut ostendant differentiam inter hos duos gradus, ajunt, quòd *donum Prophetiæ* hominem in ἔκστασιν abripuerit, omnibus abstractis sensibus; sed quòd *inspiratio* illa *Spiritûs S.* facta sit sine illa sensuum migratione, uti patet in *Hiobo*, *Davide*, *Daniele*. *R. D. Kimchi præfat. in Psal.*

VI. Utri-

(†*) Quicquid etiam sit cum ista distinctione Judaica, hoc sanè verum est. [1] Posse quendam esse Prophetam, h. e. per *visionem*, & *vocis auditionem*, quæpiam nosse & prædicere, idque ope dæmonum, sive Bonorum sive malorum, qui Spiritum S. non habeat. [2] Posse quendam quidpiam Prophetare, citra vel visionem, vel auditionem, vel inspirationem, uti Exemplo *Cajaphæ* patet. [3] Inspirationem Spiritûs S. fieri per condocefactionem & συμμαρτύρησιν indubitabilem, & ineffabilem, citra ullam vel visionem, vel auditionem, vel ἔκστασιν, vel aliam quamcunque revelationis rationem. Et hic revelationis modus ac gradus, uti est nobilissimus, & summus, sic promissus iis, qui sunt sub gratia Novi Test. diciturque *Inscriptio in cor*. At quotusquisque est, qui ausit dicere, se sub ista gratia N. T. esse, h. e. sibi Spiritum S. veritatem inspirasse? suum corpus & animam habitaculum ipsius esse? sibi non opus esse ullo doctore & ductore alio? se omnia per ejus unctionem nosse, & indubitatò nosse, non per conjecturas aut ratiocinationes, aut testimonia humana, sed per ipsiusmet μαρτυρήσεις internas, ipso sole clariores?

Landesbibliothek Oldenburg

VI. Utrique hi gradus, ut & *Urim & Thummim*, cessârunt sub templo secundo, dicentibus Sapientibus eorum; post mortem ultimorum Prophetarum *Haggai*, *Zachariæ*, & *Malachiæ* Spiritum S. migrâsse ab Israële, *Talm. in Sanhed. c.* 1. licèt habuerint usum בַּת קוֹל *filiæ vocis* seu *Echo* (1) de cœlo.

VII. Quo dicto non putandum est, Spiritum S. planè cessâsse operari in creaturis, vel ipsum non ita, ut antea, effecisse sanctificationem in hominibus, sed quòd *singularis illa virtus prophetandi per inspirationem Sp. S.* tunc desîerit, & quod hoc sensu Spiritus S. dicatur cessisse ab Israële.

VIII. Ad hanc communem ferè omnium sententiam referendum illud *Act.* XIX. 2. *Imò neque, sit-ne Spiritus Sanctus, audivimus.* Quòd non dubitent de *distinctione Personarum*, claret exinde, si verum est, quod annotârunt quidam, scil. Judæos antiquos ante adventum Christi ita fuisse imbutos

(1) De *Urim* & *Thummim*, ut & de *Bath-Kol* superiùs aliquid notatum est. Dicimus autem, quod בַּת קוֹל fuerit verbum quoddam de cœlo, Angelo mediante, factum, sic dictum, quoniam vox illa, consilii cœlestis nuncia, indicem sui-ipsius & comitem tonitru (קוֹל in sacris appellatum) ut plurimùm habuerit, & ex eo, tanquam ex utero matris suæ, prodierit. Vid. *Heinsii Aristarch. Sac. c.* 14. & *Spencer. Dissert. de Urim & Thummim, c.* 2. *sect.* 1. Item, quando Spiritus S. dicatur cessisse cum שְׁכִינָה, modumque cessionis, vid. *Coce. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. *§.* 13. *not.* 4.

in hoc puncto (2) ut mysterium *Trinitatis* in nomine יהוה observârint. *P. Fag. in Exod.* XXVIII. Nam illud nomen constat quatuor literis, unde & vocatur τετραγράμματον *quadriliterum*, tres tamen peculiares literæ tantùm sunt in eo: י notat *Patrem*, *principium & fontem rerum*; ו est conjunctio copulativa, notatque *personam tertiam*, quæ exit à *Patre* & *Filio*; ה notat *Filium*.

IX. Rabbinis Proverbium est, *Deum omnia creare in litera* ו. Forsan eò respiciunt, quòd omnia creaverit *verbo* suo יהי *fiat*, ויהי *& factum est*; sed possunt etiam respicere *secundam Personam* in *Trinitate*. Præterea annotant, quòd quum ה geminetur in hoc nomine, significentur *duæ Christi naturæ*.

X. *Ter-*

(2) Judæi citra dubium viderunt, per nomen יהוה exprimi, quidquid de veneranda Dei essentia, potentia, justitia, aliisque attributis ex S. Scriptura scimus; unde quoque statuerunt in eo inveniri tempus præsens, præteritum, & futurum, ut י sit nota futuri, ה præteriti, ו præsentis. Quòd autem in eo nomine illa Dei attributa, *sufficientia*, *misericordia*, *potentia*, *longanimitas*, lateant, hoc ex illo textu patet *Exod.* XXXIII. 17. 18. 19. Deus dicitur nondum se cognoscendum præbuisse patribus quoad nomen *Jehova*. *Exod.* VI. 3. Atqui notum ipsis erat literale nomen. Si ergo nondum omnes promissiones in Christo factæ sunt Ναὶ καὶ Ἀμήν, & misericordia, ac profundissima Dei Σοφία καὶ ἀγάπη in Jesu mediatore nondum apparuit, tum non potest dici cognitum fuisse ipsis nomen יהוה. Et nostrûm quibus cognita sunt illa Βάθη?

X. *Tertius* gradus fuit *Urim & Thummim.* אורים *Urim* significat *Lucem*, תמים *Thummim integritatem.* Fuisse ea duo ornamenta in *Pectorali* Pontificis, in genere conceditur; sed quale illud fuerit ornamentum, & quo modo responsa dederit, difficile est ostensu. (*)

(*) Vir Eruditissimus & Pientissimus, D. *Majus* P. P. *Gies.* qui habet Urim & Thummim in pectore, in singulari dissertatione de *Imagine veritatis Fatidica & Juridica*, mediam inter *Spencerum* & alios viam sententiamque tuetur, doctissimèque statuit, (ut succinctè contraham:) [I] In Ægypto ab antiquissimis temporibus reconditissimæ sapientiæ mysteria patuisse. 1. *Reg.* IV. 30. *Act.* VII. 22. [II] Patriarchas, Abrahamum, Jacobum, Josephum, aliosque inter Ægyptios vixisse, eosque docuisse. *Psal.* CV. 22. 23. [III] Multa communia intercessisse inter cultum Ægyptiorum & Israëlitarum exteriorem καὶ κοσμικόν. [IV] Mosen, futurum Pharaonis successorem, factum ab Ægyptiis, uti exercitûs *ducem*, teste *Josepho*, sic summum *Pontificem*; nam & Judicium & Sacerdotium in unam personam devolvendi mos erat, hinc כֹּהֵן utrumque munus denotat. [V] Pontifices Ægyptiorum gestasse Insignia quædam de collo dependentia, quæ ex usu, cui inservierint, vocata fuerint *veritas*, vel *veritatis Imago*, item *speculum* &c. atque sic quòque Mosen. [VI] Mosen hoc suum insigne, ἄγαλμα, translato in fratrem sacerdotio, indidisse in pectorale duplicatum & concavum Aaronis, *Exod.* XXVIII. 30. ut esset instrumentum externum dando oraculo. [VII] Hoc *insigne*, sive ἄγαλμα, sive ζώδιον, sive *speculum* ut ab Autoribus nominatur, Extraordinario & supernaturali splendore gemmarum fausta respondisse; atque huic splendori interiorem sacerdotis illuminationem propheticam accessisse; repressô splendore, cùm infausta essent indicanda.

Landesbibliothek Oldenburg

XI. Sunt qui putant, ea fuisse quatuor illos lapillorum ordines in *pectorali*, quorum *splendor* & *lux* victoriam notârit; & ex *regula contrariorum* concludunt, *obscuritatem* lapillorüm retento splendore sinistrum quid portendisse. *Joseph. ant. l. 3. c. 9.* Aliorum sententia vult, nomen יהוה positum fuisse in concavo *pectoralis*, quod duplicatum erat. *Exod.* XXVIII. 16. *R. Salom.* ut refert *R. D. Kimchi in radic.*

XII. Alii modum consultationis per *Urim* & *Thummim* ita explicant. Primò dicunt, quòd soli *Regi aut* אב בית הדין *Patri consistorii* licuerit consulere oraculum, aut rem Pontifici proponere, qui solus potestatem habuerit eam solvendi. *Talmud. in Joma. c. 6. Vid. P. Fag. in Exod.* XXVIII. Secundò, quòd res proposita non levis, sed magni momenti esse debuerit. Tertiò, quòd *Urim* & *Thummim* constiterit ex nominibus omnium tribuum & familiarum, ut & Patriarcharum Abrahæ, Isaaci, & Jacobi, sic ut nulla Alphabethi litera defuerit.

XIII. Atque ita, si quando quæstio esset proposita, quòd tum illæ literæ, quæ responsum dabant, fuerint בולטות (3) *prominentes*, superioresque reliquis.

(3) Hujus sententiæ Patroni præprimis sunt Talmudici, qui præter literas nominum Patriarcharum etiam has hoc sensu in gemmis *pectoralis* collocanti; כל אלה שבטי ישראל *omnes hæ sunt tribus Israëlis*, dicuntque Pontificem;

reliquis. Exemplum sumunt ex 2. *Sam.* II. 1. ubi David ita Jehovam consuluit; *adscensurus sum in aliquam civitatum Judæ?* respondente Deo, עֲלֵה *adscende.* Hîc dicunt, quòd litera ע ex nomine שִׁמְעוֹן *Simeon*, litera ל ex nomine לֵוִי *Levi*, litera ה ex nomine יְהוּדָה *Juda* prominuerit. Aliis placet, quòd literæ, exprimentes oraculum, fuerint מְצֻמְרוֹת, h. e. quòd in integras syllabas coaluerint, & in integras voces, & sic responsum dederint. Aliæ (4) præterea referri

cem, divinum responsum petentem, faciem suam in שְׁכִינָה obvertisse, & tum è stellulis splendescentibus promicantes literas collegisse; quia autem res ardua erat Pontifici genuinum dispersarum literarum ordinem & propria puncta probè internoscere, tradunt ii, vocem auditam esse, quæ Pontificem docuerit institueritque, ne erraret ex punctorum vocalium defectu. *Sheringham. Cod. Jom. p.* 186. Quando autem responsum esset longius, ut bis quædam literæ fuerint producendæ, tunc ajunt, literas oraculi non simul protuberâsse, sed unam alteri successisse. Hanc autem sententiam explodit conficitque *Spencerus diss. de Ur. & Th. c.* 4. *sect.* 8. Et sanè figmentum solius literarum prominentiæ & exsplendescentiæ ex eo promicat, quòd ad explicationem obscurarum alioquin literarum istarum, vivâ Dei vel angeli voce opus fuisse dicant. Hinc, uti audivimus, felicius alii conjungunt singularem gemmarum splendorem, & irradiationem Divinam in pectus seu animum Pontificis.

(4) Alii sustinent, gemmas sereniore vultu & jubare radiâsse, ubi lætius responsum dandum fuerit, tristius autem

possent sententiæ, verùm is optimè sentit, qui rotundè fatetur, se nescire, quid fuerit *Urim* & *Thummim*. *R. David. Kimchi in radic.*

XIV.

autem rariusque lumen sparsisse, ubi sequior futura res esset. De quibus ita putantibus hoc modo loquitur Augustin. *Tom.* IV. *qu.* 117. *Exod.* XXVIII. *Fabulantur quidam, lapidem in pectorali fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera, mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta.* Certè hæc sententia suâ vanitate collabitur, nec juvant eam verba autoritasque *Josephi Ant. l.* 13. *c.* 9. Quæ si stabunt, dicit *Spencerus*, deficientibus τοῖς *Urim & Thummim*, Deum tum temporis suam præsentiam testatum esse insigni saltem gemmarum fulgore, non autem, ut olim, clarè respondisse. Sed quid dicemus de opinione, quam multis probare satagit ipse *Spencerus*? Ea primo intuitu terribile spectrum & idololatris favere videri posset, toto enim suo libro statuminare studet *Urim & Thummim* fuisse duas *icunculas aureas*, in cavo *pectoralis* repositas, quas inde Pontifex in arduis remque publicam tangentibus rebus deprompserit; quæque sic prolatæ claro & vocali sono adversa aut prospera annuntiârint. Has *imagunculas* non alias esse quàm *Seraphim Serapidibus*, *seu Theraphim* (idque nomen coïncidere cum τῷ *Urim*, hasque esse cognatas voces statuit *cap.* 4. *sect.* 9.) & populo Israëlitico τοῖς *Theraphim* ἐκ πάνυ ἀρχαίου adsueto, salvâ Dei sanctitate, cum aliis Gentilium ritibus indultas. Unicum ego hoc regero. Si verum est, Deum præfractæ genti istam sacram ceremoniarum pompam reliquisse, quia antiquitus cum materno lacte earum amorem imbiberant, tum isti ritus non possunt dici ingressi esse propter παραβάσεις in μοχθοποιίαν. *Ezech.* XXIV. 25 Quo loco apertè transgressio dicitur fuisse occasio dandi leges non bonas, hoc est, juxta sententiam etiam *Spenceri*, ceremonias. Coll. *Gal.* III. 19. Nec Deus potuisset dicere: quia ruperunt fœdus meum, propterea בעלתי בם *coërcui ipsos*, velut severus dominus ser-

vos

XIV. *Quartus* gradus fuit בַּת-קוֹל *filia vocis* seu *Echo*, h. e. vox è cœlo lapsa, voluntatem Dei exponens; quæ fuit sub templo secundo, cùm cessarent tres gradus priores. Illa testata est de nostro Salvatore: *Ecce vox de cœlis, dicens, Hic est filius meus dilectus,* ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo acquiesco. Matth.* III. 17. Illa *vocis filia* quasi prologus & imago fuit *veræ* illius *vocis Patris*, Λόγου αἰωνίου, qui manifestavit hominibus voluntatem patris sui.

XV. Hæc sunt media extraordinaria, queis Deus se olim suo populo revelavit; ordinariè (†*) autem se revelat per verbum scriptum.

vos suos, *Hebr.* VIII. 8. scil. imponendo ipsorum duræ cervici gravem ceremoniarum sarcinam. Nec quoque dici possent ritus isti jugum, *Act.* XV. 10. si populus eos singulari amore complexus est, non tam à Deo impositos, quàm à majoribus exceptos. Hinc *R. D. Kimchi* ait: אלו לא חטאו ישראל במדבר לא צוה אתם יתברך על הקרבנות *ni peccâssent Israëlitæ in deserto, non mandâsset ipsis Benedictus quidpiam de sacrificiis.* Scio equidem quasdam ceremonias jam Israëli datas ante μοχθοποιΐαν, verùm Deus illas non dederat, ut gratificaretur ipsis, ejusmodi scenæ cupidis, sed ut ostenderet, quid ipsis suâ justitiâ imponere posset, nondum expiato per Christi sanguinem reatu, & ut eò magis gravi jugo pressi suis peccatis ingemiscerent, Messiæque sanguineum rorem sitirent.

(†*) Quòd Deus *ordinariè* se per verbum scriptum revelet, *Autor* non aliter intelligi velle videtur, quàm de tempore nostro. Nam cùm Scriptura nondum per tot millia annorum extaret, ordinarius Divinæ revelationis modus fuit

Nihilominùs Hebræi dicunt; Legem statim, ex quo Mosi ea tradita est, fuisse duplicem; (5) alteram *scriptam*, quam vocant תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב *Legem scriptam*; alteram *acceptam* per traditionem, quam vocant תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה *Legem oralem*, item קַבָּלָה à קִבֵּל *accipere*, *discere*. Addunt, utramque à Deo traditam fuisse Mosi in monte *Sinaï*, & quòd Moses *Legem non-scriptam* tradiderit Josuæ, Josua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Synagogæ magnæ viris, eaque sic abiverit ad posteriora æva, usquedum tandem congesta esset in librum, continentem præprimis præcepta & constitutiones Israëlitarum terram Sanctam incolentium; illumque vocant *Talmud Hierosolymitanum*. (6) Compilatum id est anno Domini

fuit χρηματισμός per visiones, per somnia, per voces, perque inspirationem, sive lumen internum. Et tùm Sancti viri maxima Scripturæ momenta & capita de *Deo*, de *Angelis*, de *Messia*, *de die ejus*, de *salute* per eum, &c. melius & penitius perspiciebant quàm plerique nostrûm, qui sine illuminatione Divina illa Scripturæ momenta non intelligimus, & nomina saltem legentes, naturam rerũ nominatarũ intelligere nos opinamur. *Joh.* III. 3. 1 *Joh.* XIV. 17. 1. *Cor.* II. 14. 2. *Cor.* IV. 6. Spiritualia & invisibilia corporalibus & visibilibus, ac præterita præsentibus comparando, & propriissimas Spiritûs S. locutiones improprias dicendo. Vid. *Owen. Theol. lib. 6. cap. 4. §. 5.*

(5) Superiùs jam aliquid de Judæorum duplici lege, *scripta* & *non scripta* seu *orali*, notatum est, non opus est hîc repeti.

(6) Postquam vetus fœdus penitùs antiquatum & abolitum esset, devastatâ Israëlitarum Republicâ & urbe, Rabbinorum turba hinc inde Scholas erexerunt, præcipuam verò

Domini 230. & quum paucа tantum complectatur præcepta, non adeo frequentis usûs est.

XIV. Circa annum Christi quingentesimum alia & completior ipsorum dogmatum facta est conferruminatio, ad institutionem Judæorum in Babylonia & in aliis peregrinis plagis habitantium, vocaturque *Talmud Babylonicum*, quod in frequenti usu Autoribus est, & complectitur corpus legum *civilium* & *canonicarum*.

XV. Hanc *legem oralem* tam authenticam putant, quàm *scriptam*, quòd Moses eam acceperit à Deo, cùm Lex ipsi daretur; ajunt enim, nî hæc

verò Tiberiade. Ne autem תורה שבעל פה *lex oralis* ex Judæorum ore & corde excideret, circa annum Christi 150. permissu *Antonini Pii*, *R. Jehuda*, quem vocârunt רבנו הקדוש *Rabbi noster sanctus*, congregatis Tiberiade Rabbinis, collegit *legem oralem* ex ore eorumdem, & quidquid priores Rabbini memoriæ gratiâ in schedulas conjecerant, in unum volumen congessit, quod dictum est משנה, absolutumque est anno Christi 219. & confirmatum ab omnibus Judæis. Anno autem Christi 230. *R. Jochanan* coacervavit גמרא Rabbinorum antiquorum sententias, dissensiones, controversias, decisionemque isti volumini adjecit. Sicque confectum fuit *Talmud Hierosolymitanum*; quòd cùm esset ob sermonem concisum obscurius, & ob brevitatem insufficientius, *R. Asse*, qui cum aliis Rabbinis dirutâ Hierosolymâ in Babyloniam concesserat, cœpit aliam *Gemaram* conficere, sed morte occupatus reliquit absolvendam eam *R. Macemar* & filio suo *Mar*, qui adjectâ pleniori *Mischnæ Gemarâ*, *Talmud Babylonicum* contexuêre anno Christi 500. Vid. *Buxt. Synag. Jud. c. 1. & Pocockii portam Mosis p. 80. & p. 105. &c.*

Landesbibliothek Oldenburg

obstitisset Legis interpretatio, Decalogus potuisset tradi בְּשַׁעֲרָה קַלָּה *in hora veloci.* *Moses Kotsensis in præfat.* (†)

XVI. Hîc sciendum est, vocem קַבָּלָה, quando Kabbalistis applicatur, ad ponendam differentiam inter ipsos & Talmudistas, arctiori sumi sensu, & notare *subtilitates* & *abdita mysteria*, quæ ex diversa vocum & literarum forma vel transpositione & abstruso arithmeticæ genere eliciuntur. Hæc non plenè conscripta est. Aliquot habemus exempla. *Gen.* XXIII. 2. *Abraham venit* לִבְכּוֹתָהּ *ut defleret Saram*; atqui quùm in hac

(†) Antiquissimos mortalium posteris eas revelationes notitiamque, quam de Deo habuerunt, per traditionem oralem reliquisse, extra controversiam est. Eas autem pòst mille additamentis, corruptelis, omissionibus adulteratas constat, & testantur monumenta. Hinc obscura & incerta apud gentes rerum primævarum cognitio, præprimis earum, quæ ad sacra pertinebant. *Virg. Æneid.* l. 7.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusque movete,
Et, meministis enim Divæ, & memorare potestis;
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Sic quoque dubitari nequit, quin *Moses*, gentis Judaicæ Doctor, multa, quæ à Deo accepit, populoque dedit, oretenus explicârit, & hæc explicatio à *Josua*, & *Eleazaro* fideliter aliis tradita fuerit. At hæc traditio immensâ farragine paulatim aucta & corrupta pessùm dedit Theologiam Mosaicam, coëgitque Dominum Jesum, ut toties istud fermentum & additamentum Judæis exprobraret, tanquam commentum Rabbinorum, & obdurati Judaismi fundamentum, quamvis tùm temporis nondum prorsus exclusum, & in literas conjectum.

Landesbibliothek Oldenburg

hac voce inveniatur זְעֵירָא כ litera *caph, minor* reliquis, propterea notant, Abrahamum tantùm paucillum deflesse Saram, quia fuerit vetula. *Baal Turim.* Rursus quum litera א sexies reperiatur in primo Geneseos versu, hinc conclusit *R. Elias* mundum tantùm substiturum sex mille annis, quoniam Tò א in Lingua Hebr. sumitur pro mille.

XVII. In transpositione literarum ita procedunt. חֵרֶם denotat *anathema*, seu *excommunicationem*, *per* μετάθεσιν literarum formatur רַחֵם *miseratio*, vel etiam רֻמַח. Quæ literarum positio juxta Hebræum calculum efficiunt numerum 248. Quem numerum ipsorum Anatomia dicit respondere membris humani corporis. Hinc eliciunt, quòd, si homo excommunicatus se verè convertat, tum ipsius חֵרֶם *excommunicatio* vertatur in רַחֵם *commiserationem*, maledictio in benedictionem; si verò non convertatur, quòd tum ipsius חֵרֶם descendat in רֻמַח in *Rumicem* sive *spiculum*, seu quòd maledictio pervadat in omnia illius membra ad totius hominis perditionem. Denique אִישׁ significat *marem*, אִשָּׁה *fœminam*. (*) Hinc notant, quòd in nomine אִישׁ sit י, quæ

(*) Etsi pleræque Kabbalistarum conjecturæ meræ sint hariolationes frivolæ, non tamen omnes & singulæ eorundem traditiones. De *Theologia in numeris* suprà vidimus.

quæ litera non sit in nomine אִישׁ, & in nomine *fœminæ* litera ה, quæ non sit in *maris* nomine; quæ literæ efficiant יה *Jah*, unum ex Divinis nominibus; & quòd hoc nomine ablato remaneat אֵשׁ *ignis*, in utriusque nomine; quòdque eo doceatur, *Deum*, quousque maritus & uxor conveniant, esse cum iis, at, si discrepent, *ignem*. Hinc videmus quàm frigidè hariolentur in vanis his mysteriis Kabbalistæ.

CAP. IX.

De Theraphimis.

I. QUod attinet תְּרָפִים *Teraphim*, duo inquirenda sunt. 1. Quid fuerint? 2. Cui usui?

II. Vox תֶּרֶף in genere notat *perfectam hominis imaginem: Michal accepit* אֶת־הַתְּרָפִים & *posuit super lecto.* 1. *Sam.* XIX. 13. In specie autem notat εἴδωλον

mus. *Lib. III. cap.* 10. Et quis nescit, quàm sæpè Spiritui Sancto placeat huic vel isti vocabulo literam vel syllabam addere vel demere, mysterii denotandi causa? Liquet hoc in nominibus *Abrahæ* & *Saræ*, *Gen.* XVII. &c. sæpèque quasi ludere in transponendis hujus vel illius vocis literulis; ut verissimum sit illud Patrum de Scriptura elogium: *Non est apex in Scripturis, qui non sit præstantior cœlo & terra.* Neminem quoque fugit, quòd Spiritus S. subinde ad numerum in literis integratum vocum vel nominum latitantem attendi, vel numerum certum in integris vocibus quæri velit. *Apoc.* XIII. 17. 18.

Landesbibliothek Oldenburg

εἴδωλον *idolum* confictum ad hominum privatum usum in ædibus propriis, sic ut videantur fuisse idololatrarum *Penates*, sive *Lares*. *Cur furatus es* אֶת־אֱלֹהַי *Deos meos*, וְהַתְּרָפִים *Gen.* XXXI.30. 34. *Micha* habuit בֵּית אֱלֹהִים *Ædem Deorum*, & fecit *Ephod* & *Theraphim*. *Jud.* XVII.5. Ab hoc *Teraphim* cultu descendit Græcorum θεραπεύειν *colere, servire*. Οὐδ' ἀθανάτοις θεραπεύειν ἤθελον. *Nec Dis servire volebant*. *Hesiod.* Ἔργα καὶ ἡμέραι *vers.* 134.

III. Quo modo hæc idola fabricata sint, docent (1) Rabbini, ubi dicunt: *Obtruncârunt hominem*,

(1) Hoc redolet ψευδολογίαν isti genti familiarem. Potest esse, quòd *Gen.* XXXI. 19. *Ezech.* XXI. 26. intelligantur idola, quæ ex certis Astrologiæ regulis & ad certas constellationes facta sunt, Græcis vocantur σωιχεῖα, & θεοὶ ἀλεξίκακοι, item ἀποτροπαῖοι. Locis autem 1. *Sam.* XV. 23. & *Zach.* X. 2. simpliciter idola lapidea, vel aurea, vel lignea intelliguntur. *Hos.* III. 4. vox ea sumitur pro *Cherubinis*, uti fluit è textu. Scio equidem, quòd hic locus, ut & ille *Jud.* XVII. aliter sumatur à *Spencero*, & *Teraphim* per τὸ *Urim* explicentur. Sic quoque *Teraphim Michæ* sine dubio repræsentârunt *Cherubinos Jud.* XVII. 5. XVIII.14. Qui imitaturus tabernaculum & ejus instrumenta, amiculum, *Cherubinos* auro obductos, aliasque res fecit, iisque Sacerdotem præstituit. Quale factum fuit illud *Jeroboami*, qui juxta formam *Cherubinorum* cùm alias facies, tùm etiam vitulinos pedes referentium, idola finxit, quæ S. Scriptura *vitulos* vocat. Unde facilè colligi posset, *Teraphim* dictum esse pro *Seraphim*, quæ mutatio consonantium frequens est apud Chaldæos & Syros. Sic Græci dicunt τήμερον pro σήμερον *hodie*. Quicquid sit, omnes illi etiamnum *Teraphim* colunt, qui hominum, tanquam infallibilium, verbis credunt.

Landesbibliothek Oldenburg

minem, caputque abscissum condierunt sale & aromatibus, & laminam auream inscriptam nomine πνεύματος ἀκαθάρτου spiritûs impuri subter capite posuerunt in muro, succensisque coram eo cereis adorârunt. R. Elieser. Vid. *Eliam Thisbit.*

IV. Cum ejusmodi *Teraphim* dicunt *Labanem* collocutum esse. Verùm citra controversiam creduntur *perfecta hominis imago fuisse Theraphim* isti, quos *Michal* in lecto posuit. 1. *Sam.* XIX. 13.

V. Usus horum idolorum fuit, ipsa tanquam oraculum consulere de iis rebus, quæ pro præsenti ignorabantur, aut futuræ erant. Ex qua causa ab Astronomis (2) conficiebantur sub constellatio-

(2) Docti viri putant *Teraphim* fuisse *icunculas portatiles. Kircherus Serapes* Ægyptiorum eo nomine venire ait; de quibus *OEdip. Ægypt. T.* 1. *Synt.* 4. *C* 3. ita: *Horum idolorum, è varia materia sub certo syderum positu constructorum, tanta ubique in Ægypto copia reperiebatur, ut præter templa, quæ iis scatebant, nullus vicus, aut angulus, aut semita iis carere videretur. Hæc enim Larium ac Penatium loco, ac veluti Deos averruncos, non domi tantùm forisque colebant observabantque; sed etiam ut cultus ille Diis gratior esset, capite, collo, brachiis, cingulis suspensa, quocunque tenderent, gestabant.* Vix ferendum, quòd *Spencerus* defendat *cap.* 4. *sect.* 9. *Teraphim*, seu *icunculas*, quæ fuerint symbola *Seraphim* seu *bonorum Angelorum*, & si non divino, honesto tamen licitoque cultu honoratas ab omnibus ferme Patriarchis, & soli Deo addictis animabus, easque non à dæmonibus, sed ab electis spiritibus animatas respondisse consulentibus; nisi putet, uti [1] per angelorum ministerium data Lex fuit, iique frequentissimè immediatèque antiquis locuti sunt; (2) sic & eosdem mediatè & ope externi instrumenti sub veteri Oeconomia hominibus, præprimis Pontifici

ſtellationibus certis, ut eſſent idonea influentiis cœlorum, à quibus vocalia reddebantur. התרפים דברו און *Teraphimi loquuntur vanitatem. Zach.* X. 2. *Aben-Eſra. Gen.* XXXI. Et inter alias rationes, cur *Rachel* ſubduxerit patris ſui idola, hæc putatur eſſe una, ne *Laban* conſulens ea recognoſceret viam fugientis *Jacobi.*

CAP. X.

De pecularibus generibus interdictæ Divinationis.

I. INvenimus *Deut.* XVIII. 10. *Divinatores*, quos Lex proſcribit, ſeptem eſſe numero, non quòd non plures, ſed quòd hi frequentiores ſint. 1. *Divinator.* 2. *Ominum captator.* 3. Φαρμακὸς *Veneficus.* 4. *Incantator.* 5. Ἐγγαστρίμυθος *Pythonicus.* 6. *Hariolus, Sciolus.* 7. Νεκρομάντης *Conſulens mortuos.* His addi poſſunt 8. *Conſulens lignum ſuum Hoſ.* IV. 12. & 9. Haruſpex, qui exta ruſpatur. *Ezech.* XXI. 26.

II. 1. Primus eſt מעונן *Divinator temporumque captator*, qui dicit: *Hoc die fauſtum, vel hoc die infauſtum eſt, hâc horâ, hâc ſeptimanâ, hoc menſe bonum eſt,*

Pontifici è Pectorali loqui, non abſurdum eſſe; [3] & contrà, imagines iſtas humanas (ſeu *Teraphim*) quas improbi fecêre à ſpiritibus impuris animatas ſæpè fuiſſe. *Zach.* X. 2. *Ezech.* XXI. 21.

est, & hoc vel illo die, vel mense malum, his vel illis, hoc vel illud agere. Salomo Jarchi Levit. XIX. 26.

III. Hinc illi, qui hoc vocabulum deducunt à עין *Oculus*, quasi per id intelligatur *præstigiator*, qui offusâ caligine teneat & ludat oculos spectatorum, penitùs aberrant. *R. David. Kimchi in radic.* Commodiùs loquuntur, qui derivant illud ab עונה *Tempus*; Sed meo sensu commodissimè, qui deducunt à ענן *Nubes*, ut מעונן dicatur (1) *Planetarius, Astrologus. Aben-Esra. Lev.* XIX. 26.

IV. Hinc

(1) Priscillianistæ antiqui hanc Astrologiam judiciariam dicuntur defendisse: & etiamnum inter Christianos illa scientia viget; etiamsi eadem hoc loco prohiberi videatur. Quidquid illius scientiæ amantes pro sua arte producere possunt, id in solis experimentis consistit. Hanc Astrologiam judiciariam penitùs confutatam habes apud *Spanhem. Dub. Euang.* Pudet fermè dicere, quòd Christianos non puduerit, ipsius Virginis beatæ, imò ipsius Christi nativitatem ex astris petere. Vid. quid notet *Seld. de Dis Syr. synt.* 1. c. 2. Unde illud:

O virgo felix, ô virgo significata
Per stellas, ubi spica nitet.

Sic *Gauricus* & *Cardanus* Itali, nativitatem *Mosis & Christi* ex astris quoque traxêre. Huc pertinent, qui ajunt hominis fata ex astris quasi dependere, quibus signa certa in manibus respondeant. Stupenda hujusmodi χειρομαντείας *manuum inspectionis* exempla occurrunt in libris doctiss. *Rüstii*, quos inscribit Monahts-Gespräche. Sed ad quæ facilè responderi potest. At verò non negamus astra, ut in cæteras terræ plantas, sic & multum posse in homines terrestres seu χοϊκοὺς, id quod videmus in Lunaticis; Diabo-

IV. Hinc differt à *secundo*, qui etiam fuit *temporum observator*. *Primus* suam conjecturam cepit *ex colore vel motu nubium*: *Secundus ex suamet superstitiosa observatione eventuum* faustorum vel infaustorum, qui contigêre hoc vel illo die, hoc vel illo tempore. Primus videtur concludere, à *priori*, à *nubibus vel Planetis*, operantibus bonos vel malos eventus: Secundus à *posteriori*, *ab eventu ipso*, hoc vel illo tempore contingente.

V. Hic *Planetarius* observans nubes videtur stetisse *vultum obvertens Orienti*, *tergum Occidenti*, *dextram Austro*, *sinistram Septentrioni*. Nisi dicamus Hebræorum loquendi modum ductum ab hac *Planetarii* astra legentis statione, non invenio rationem, cur ipsi *Orientem* vocârint קֶדֶם, h. e.

Diabolumque habere ἐξουσίαν τοῦ ἀέρος *Eph.* II. καὶ ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, à qua astrorum Principisque aëris Potestate liberantur, qui regenerantur, & reformantur. Nota est historia Sapientissimi Philosophi, qui, deformi ore cùm esset, & ex ista corporis turpitudine aliis videretur flagitiosissimus; rectè, ait, divinastis, is enim eram olim à natu, sed emendatus sum. *Philippus Melanchthon* Astrologiæ Judiciariæ studuit, quanquam interdum eventum expertus contrarium. Vocatus enim aliquando Cassellam à Landgrafio, divertit ad *Dionysium Melandrum* Pastorem; cujus cùm infantem in cunis videret, ajebat; *ecce venustus puſio! Tuâ pace, mi Melander, ex astris deducam ipsius fata*; Tandem in hæc verba erupit; Erit *eruditissimus* & *summâ dignitate ornandus vir*, ridente Melandro & dicente; *Domine Philippe, puella est, puella est.* At denuò puellam & ejus natales ponderans, dicebat; *Septimo anno morietur filiola Tua*; quæ autem anno septimo equidem gravi morbo afflicta, at decimo quarto anno, seu bis septimo, demum vitâ defuncta est.

partem anteriorem mundi; *Occidentem* אחור h. e. *plagam mundi posteriorem*; *Austrum* ימין, h. e. *dextram*; *Septentrionem* שמאל h. e. *sinistram*. Rationem hujus denominationis esse, quòd Adamus converso in Orientem ore creatus sit, tàm vanum est, quàm probatu difficile.

VI. II. Secundus est מנחש (2) *Augur*, *Vates*. Vox Hebr. talem denotat, qui ex propria experientia observationes trahit, ad futura bona vel mala vaticinanda, veluti *Augures* concludunt ex hujus vel illius eventûs, hujus vel illius volatûs, crocitûs &c. observatione. Rabbini hoc modo loquun-

(2) Hoc vocabulum Hebr. non tantùm de iis *auguribus* sumitur, qui vel ex *volatu avium*, vel ex *garritu oscinum*, vel ex *pastu* & *tripudio pullorum* augurabantur, sed & qui ex *serpentibus*: quemadmodum apud Græcos οἰωνός, οἰωνισμός, & apud Latinos *augur*, *augurium*, *auspex*, *auspicium*, non solùm de ὀρνιθομαντείᾳ, sed & de ὀφιομαντείᾳ, imo de *divinatione* ex motu aliorum animalium pedestrium sumitur. Quod autem ὀφιομαντεία *divinatio è serpentibus* usitata fuerit Gentilibus, probatu opus non est. Vid. saltem *Bochart. Hieroz. l.* 1. *c.* 3. & 4. *Virg. Ecl.* 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quomodo autem ex *serpentibus* & *avibus* auguria ceperint, non dicemus, quùm omnes libri iis rebus scateant. Sufficit illas μαντείας cum Judæo illo Mosellano apud *Joseph. contr. Appion.* ridere & illudere; cùm & ipse Gentilis *Cic. lib. de Divinat.* 2. eas despiciat. Quomodo autem *auguria* invaluerint, docet *Pol. Virg. l.* 1. *de prodig. p. m.* 18. scil. cùm homines viderent aves, aliaque animantia, tempestates volatu, cantu, alarumque motu præmonere, ea dæmonibus adscribebant, vel saltem ea propriâ mente plena esse, ut sic futura prædicerent, stulti putabant.

Landesbibliothek Oldenburg

loquuntur; *Ille est Menacheſch Fatidicus, qui dicit, quia mica panis ex ore ipſius cecidit, vel baculus ex manu, vel filius ipſum revocat, vel cornix ipſum inclamat, vel capra præterit, vel ſerpens eſt à dextra ipſius, vel vulpes à ſiniſtra, propterea hoc vel illud hoc die non agite. R. D. Kimchi in radic.* Hoc vocabulum adhibetur *Gen.* XXX. 27. &, נחשתי *obſervavi, Jehovam benedixiſſe mihi propter te*, ait *Laban.* Rursùs *Gen.* XLIV. 5. *Nonne ille calix eſt, ex quo bibit dominus meus, & ex quo ipſe* נחש ינחש *obſervando obſervabit?* h. e. *experietur, quales ſitis?*

VII. Gentes admodum ſuperſtitioſæ fuerunt in ejuſmodi obſervationibus: quidam dierum fuerunt *atri*, alii *albi*, quidam *infauſti*, alii *fauſti*. Quibuſdam diebus funeſtum duxerunt, miſcere prælium, quibuſdam menſibus infauſtum, uxorem ducere.

Menſe malum Majo nubere vulgus ait. Ovid. Faſt.

Et quemadmodum ſuperſtitioſæ fuerunt *in obſervandis* (†) *ſignis ſiniſtris*, ſic etiam *in uſurpandis mediis*, quibus malum, quod portendebatur, declinarent.

(†) נחש ergò propriè eſt *obſervatio ſignorum & ominum*, eine Zeichendeuterey. Quæ ſigna & omina præprimis capiuntur ex animantium motu. Cujuſmodi impia divinatio apud homines Chriſtianiſmum profitentes haud infrequens eſt. Lepus, ajunt, tranſiit viam, ergò iter infauſtum erit. Gryllus cantillavit domi, ergò quis morietur

VIII. *Media* vel sunt *verba* vel *facta*: *Facta*, ut si qua *avis funesta*, vel aliud ejusmodi, occurreret, lapidibus illud petebant. Hujus sortis est sculptura suspecti Magi, quæ à rudiori plebecula censetur esse remedium adversùs veneficium. *Verbis* putant se eludere futurum malum, quod sinistra omina annuntiârunt, si dicant, εἰς κεφαλὴν σοί: *In caput tuum recidat hoc omen.* Plura hujusmodi ἐνόδια σύμβολα, *obvia omina*, vide apud *Theophrast. Charact.* περὶ δεισιδαιμ.

IX. III. Tertius est מכשף (3) *præstigiator, gesticulator.* Vox Hebr. denotat talem, qui præstringit oculos

rietur &c. Nihilosecius Christianum decet observare, in quocunque vel loco vel itinere vel negotio fuerit, circumstantia signa; non ut ex diffidentia divinet, quid sibi boni vel mali eventurum sit, sed quid Deus velit, in fide discat. Deus enim etiam docet per opera providentiæ, absque qua ne musca se movere potest. E. g. Venti navi Jonæ adversantur: quid Deus vult? Primogenitus tuus subitò obit: quid Deus vult? Fulmine conflagravit tectum: quid Deus vult? Turres cecidêre terræ motu: quid Deus vult? Simia Melanchthonem in infantia penè oppresserat; quid Deus *significarit*, ipse Melanchthon *observârat*. Taceo quòd ex eo, quod piis olim contigit, bonum eventum promittere sibi & possint & debeant. *Conf.* 1. *Sam.* XVII. 37. 2. *Tim.* IV. 17. 18.

(3) Hoc nomine insignitur talis, qui φάρμακα, incantamenta, voces certas, signa, ritus, opera denique tectè vel apertè instituta, ad effectum humanâ potentiâ majorem consequendum usurpat; uti loquitur Cel. *Coccejus*. Tales notantur esse in S. Scriptura gentium prophetæ, dæmoniorum instinctum jactantes, aut sub nomine physicæ

oculos & ſenſus hominum, mutatâ rerum ſpecie, illas aliter, quàm in ſe ſunt, repræſentans. Eadem vox applicatur *præſtigiatoribus* Ægyptiacis, qui reſtiterunt Moſi. *Exod.* VII. 11. *Pharao vocavit etiam* τὰς מכשפים *præſtigiatores*, & (†) חרטמים *Magi Ægyptii fecerunt etiam* בלהטיהם *incantationibus ſuis ſic.* Hæc ultima vox explicat, quales *præſtigiatores* illi fuerint. Quòd *Magi* vocantur, notat ipſorum ſtudium, ſcil. ipſos fuiſſe *Sapientes* & *Philoſophos*; vox autem בלהטיהם (4) indicat

ſicæ cognitionis artes diabolicas exercentes, exorciſtæ & id genus temerarii homines. S. Scriptura hoc vocabulo myſticè innuit omnem fiduciam in elementis mundi, & opere operato, ad juſtitiam & ſanctitatis adeptionem, & omnem cultum, ab hominibus excogitatum, & à dæmoniis doctum, quo creditur Deus placari, & beneficia ejus impetrari putantur. Quales ſunt Judæi & Pontificii & qui non? De voce *Mechaſcheph* vide *Coccej. Epiſt.* CCXX. & *Lex.*

(†) *Magi Ægyptiaci* vocati ſunt חרטמים, vel ſecundum *Fullerum Miſcell. Sacr. lib.* 5. *cap.* 2. ex חרט ſtylo, quòd Arioli ad incantationes ſuas ſuperſtitioſos characteres aut figuras adhibuerunt; vel juxta *Hottingerum Theſ. Phil. p.* 57. ex *Perſ.* vocabulo, ſignificante *intellectum*, quòd magnam haberent *ſcientiam.* Hinc & dicuntur τῆς LXX. ἐξηγηταί, *Doctores* & *Ductores*, æque ac φαρμακοί; fueruntque absque dubio Sacerdotes & Philoſophi Pharaonis Aulici. Qua de cauſa eos Apoſtolus comparat Pſeudo-Prophetis, etiamnum veritatem & pietatem intervertentibus 2. *Tim.* III. 8.

(4) Judæi בלהטיהם diſtinguunt à בלטיהם, & dicunt, quòd illud notet *opus Magorum*, hoc *Dæmonum*, quia

modum elusionis ipsorum, significatque talem artem, quâ oculi fallantur; nam להטים, quod vertitur *incantationes*, denotat *flammam splendentem ignis, quâ corripiuntur oculi.*

X. *Versio Græca* non incommodè eos vocat φαρμακοὺς *Unguentarios, Seplasiarios,* vel, si mavis, μυρεψοὺς, *qui faciem virorum mulierumque fuco pingunt, aliamque speciem inducunt.* Φαρμακὸς ἢ ἐστὶ μυρεψός, *Suidas.* Hinc Apostolus ejusmodi Pseudo-Prophetas, *qui sub* μορφώσει εὐσεβείας *deformatione pietatis, captivas ducunt mulierculas non firmas,* comparat *Magis* Ægyptiis Mosi resistentibus, qui fuerunt Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, 2. *Tim.* III. 8. Hi duo præcipui fuerunt. In *Talmude tract. Menachoth* c. 9. vocantur *Johanne & Mamre; à Numenio Pythagoreo, Jannes & Mambres; Orig. contr. Cels. l.* 4. *à Plinio Jannes & Jotape. Hist. nat. l.* 30. *c.* 1.

XI. IV. Quartus est חבר (5) *Incantator.* Vox Hebr. significat *congregationem, consociationem,* sive ob

quia hoc sonet in secretis ipsorum, cùm Diaboli invisibiles sint. Vid. Cel. *Coce. Exc. Gem. Sanh. c.* 7. §. 10. Quidquid sit, eâ voce notatur, *Magos* Ægyptios clandestinâ voce murmurâsse, & recitâsse quædam verba, & gesticulationes instar fulguris gladii vibrati celeres jactâsse, ut circumstantem catervam in admirationem abriperent. Aut eâ voce notantur *præstigiæ*, quibus spectatorum oculi velut fulguri connivent.

(5) חבר talis est, & dicitur, aut quia per sacrificia & suffitus societatem init cum Dæmonibus, aut quia congregat

ob *fœdus & societatem*, quæ inter hos homines & Diabolum intercedit, sive, ut *Bodinus Dæmon. Magic. l.* 1. *c.* 6. putat, ob id, *quòd ejusmodi incantatores multiplices congregationes celebrant*, ibique saltant, & tripudiant. *Onkelos* talem *incantatorem* vertit רטין *mussitatorem*, significans modum hujus incantationis factum *murmurando, mussitando.*

XII. Descriptio *Incantatoris* ita habetur apud *Maim. tract. Idol.* c. 11. *sect.* 10. 11. *Is est Incantator, qui* φωνὰς ἀδήλους *voces peregrinas & singularis sensûs loquitur, putatque in sua stultitia, has voces esse proficuas,* (6) *adeo ut, si quis hoc vel illo modo alloquatur serpentem aut scorpium, iidem homini nocere nequeant; aut, si*

gregat animalia magna parvaque, aut quia certo vocum genere utitur, aut quia suis verbis vim ligandi & stringendi inesse putat; quemadmodum ille Poëta de venefica canit:

Hâc mandante leve est amnes, & flumina strictis
Stare vadis, motusque suos dediscere Gangen.
Hæc ventos subitò tempestatesque sonoras
Voce ciet, Cauros que Notis & Japyga Cauris
Objicit.

Isti Ἐπῳδοί Incantatores plerumque ligato sermone utebantur, quòd in eo vim majorem ligandi latere opinabantur. S. Scriptura hoc nomine mysticè indigitat Babylonis mysticæ exorcistas, & mussitatores, qui divinam suis verbis ἐνέργειαν & vim ligandi inesse putant, etiamsi ipsimet pessimi sint.

(6) *Cato de re rustica*, sequenti *incantatione* & *cantione* luxata membra restitui tradit: *Donata, Daries, Dardaries, Astararies*, & reliqua. *Pol. Virg. de prod. l.* 1. *p.* 21.

quis hoc vel illo modò affetur hominem, ei noceri non possit. Is, qui occlusâ buccâ super vulnere submurmurat, aut versum ex Bibliis recitat, vel qui legit quid super infante, ne terreatur, vel qui imponit librum Legis, aut phylacteria infanti, (7) *ut somnum carpat, tales non tantùm sunt in genere incantatores, sed in specie ex eorum numero, quos prorsùs damnat S. Scriptura, quia verba Scripturæ convertunt in medicinam corporis, quum ea sit medicina animæ.* Prouti scriptum est *Proverb.* III. 22. *Eruntque,* præcepta Dei, *vita animæ tuæ.* Hujus commatis est illud, de quo ait *Bodinus Dæmon. Magic. l. 2. c. 1. Quòd infans recitando certum è Psalmis versiculum impediat mulierem, ne possit suum butyrum coagulare, quòd autem restituat butyrum retrò legendo illum versiculum.*

XIII. V. Quintus est שואל אוב (8) *consulens*

Obh

(7) Hodierni Judæi etsi à quibusdam defendantur, quòd immunes sint à *veneficiis* & hujusmodi *incantationibus*, certum tamen est, totam ipsorum *Kabbalam Practicam* resipere magiam illicitam. Multa quidem sunt, quæ falsò imputantur iis, inter quæ sine dubio illud, quod adducit *Wagenseil. Sot. Misch. c. 9. p. 961.* ubi *venefica* noctu penes puerperas hæc cantare dicitur stricto ense:

Ich mache einen Kräys /
Den GOtt wohl weiß /
Aus und ein zu tragen;
GOtt behüt Mutter und Kind vor Schaden /
GOtt behut die Mutter und das Kind
Sampt dem gantzen Haußgesind. rc.

(8) Qualem esse *consulentum Obh* doceant Talmudici, habes *Cocc. Sanh. cap. 7. §. 7. not. 17.* Qui ex variis partibus vocem

Obh seu Pythonem. Propriè notat אוֹב *utrem*, & in diversis Scripturæ locis *Incantatoribus* tribuitur, quia malo Spiritu obsessi vocem lenem & obtusam tanquam ex *utre* emittunt. Græci eos vocant Ἐγγαστρίμυθος *Ventriloquos*, *quorum vox videtur è ventre mutire. Chrysost.* 1. *Cor.* XII. *adv. Marcion. l.* 4. *c.* 25. (*) Talem *Pythonem* habuit

illa vocem sibi reddendam à mortuo aut dæmone procurabat, ut *capite*, *axillis*, *articulis*, αἰδοίῳ, *pudendis*, *statuis*, *terræque cavernis*. Talis *Pythonissa* fuit *Sacerdos* illa *Delphica*, quæ *tripodi* seu ὅλμῳ insidens, genitalibus partibus excipiebat subeuntem per inferna, intermedio halitu, Spiritum. Exempla *Pythonicorum* ἐγγαστριμύθων notavit *Camer. hor. subc. cent.* 3. *c.* 71. In regno *Peru* Jesuitæ Sagam, per quam Diabolus loquebatur, curarunt explorari, perquirique, cujus sub ventre inventus est prominere uter, è quo verba dabat Satan. Mysticè per tales *Pythonicos* dæmone obsessos intelliguntur in S. Scriptura homines κενοδοξίᾳ tumentes, quasi ipsi repleti sint Spiritu S. etiam si verbum Dei non loquantur, sed suum verbum tanquam Dei verbum inculcent; tales loquuntur *doctrinam dæmoniorum.* 1. *Tim.* IV. 1. Talesque sunt & Judæi & Pontificii & omnes illi, qui ex suo ore infallibilia oracula peti volunt. *Esa.* VIII. 18. 1. *Johan.* IV. 1. 3.

(*) Quùm אוֹב propriè notet *Utrem* ἀσκὸν vel *dolium*, hinc impropriè sumitur pro dæmonio, quod per Pythones, inprimis noctu, responsa dabat. Vid. plura apud *Full. Misc. l.* 1. *cap.* 16. *Kirch. Oedip. T.* 1. *p.* 382. *Hotting. Hist. Orient. p.* 198. *Pfeiff. Dub. Vex. ad Lev.* XIX. 31. Ab illa *Hebr.* voce *Obh* derivatur ὄφις, *Pytho*, quod est à פֶּתֶן anguis, item φοῖβος *Phœbus*, qui Draconem occidit; derivatur & Latinum vocabulum *Obba*, quod est vas vinarium & ventriosum. Forsan Latini id vocabuli ab Orientalibus, qui vinum & lac in utribus servant, accepêre. *Persius Sat.* V.

- - - - Vejentanumque rubellum
Exhalet vapidâ læsum pice sessilis obbâ.

Landesbibliothek Oldenburg

illa serva *Act.* XVI. 16. juxta sententiam *Augustini de doctr. Christ. l. 2. c. 23.* Cui plurimi Interpretum adstipulantur, qui putant *Pythonem*, quo illa παιδίσκη occupata erat, eundem Spiritum fuisse, quem Hebræi אוֹב vocant. Similiter *Saga Hendori*, quam rogavit Saul, ut evocaret Samuelem, dicitur in Hebraïco habuisse τὸν אוֹב, & à Latinis Interpretibus constanter vertitur *Pythonissa*.

XIV. VI. Sextus יִדְּעוֹנִי (9) *Magus*, qui Græcis subinde transfertur γνώστης *hariolus*, *sciolus*. In utraque lingua nomen mutuatur à *cognitione* sive *scientia*, cujus compos esse vel sibi ipsi, vel plebi existimatur. *Rabbini* dicunt ipsum in Hebraïco denominari à quadam bestia, cui nomen יִדְּעוֹנִי, *cuique forma viri, quoniam illi Magi, quando perficiunt suas divinationes, os hujus animantis suis dentibus interserunt. P. Fag. Lev.* XIX. *Athenæus* bestiam hanc vocat καταβλεπάδα. (†) *Vid. Bodin. Mag. Dæmon. l. 1. c. 6. p. 89.*

XV.

(9) Huic nomini convenit vox Græca δαήμων, quasi δαήμων *gnarus*, *sciens*; præcedensque vox *Obh* plerumque ei jungitur; sic ut mysticè in S. Scriptura hæ duæ voces videantur unum idemque significare. Vid. ergò *præced. not.* 8. Quod dicitur, de animali *Jiddoa*, id nihil aliud est quàm fœtus & progenies ingenii Rabbinici. Vid. *Fuller. Misc.* l. 16.

(†) *Plinio* quòque dicitur *Catoblepas lib.* 8. *cap.* 21. aliis *Catoblepon*, vel καταβλέπων, quasi *deorsum spectans*. Bestiam tauro similem, terribilem aspectu, & ad terram oculos vertentem esse ajunt, unde & ei nomen. *Ælian. Hist. an. lib.* 7. *c.* 5. Verum os taurino æquale humano inseri posse, quis tàm stultus est, ut credat?

Landesbibliothek Oldenburg

XV. Hoc forsan Diabolicum sacramentum & ceremonia fuit, quâ fœdus inter *Diabolum* & *Magum* hunc stabilitum est. Profanæ historiæ produnt non dissimiles divinationes, nimirùm, quòd *Magi* consueverint vesci partibus principalioribus talium bestiarum, queis putabant vim vaticinandi inhærere, credentes modo quodam μετεμψυχώσεως animam istarum bestiarum hoc pacto in sua corpora unà cum facultate prophetandi transfundi. *Perer. de Mag. p.* 57.

XVI. VII. Septimus est דּוֹרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים

(10) *Græci* simpliciter transferunt ἐπερωτῶν τὰς νεκρὰς *consulens*

(10) *Consulens mortuos* dicitur is esse, qui, pernoctans in polyandrio seu cœmeterio juxta alicujus mortui sepulcrum, submissam ex terræ cavitate egredientem vocem non tàm auribus quàm phantasiâ & mente accipit, suffumigatus priùs, & inter consulendum myrteam virgam manibus tenens. Aut is, qui in polyandrio pernox decubat, abstinentiâ cibi esuriem provocans, quò spiritus immundus ejus pectori incestat, tumque

Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis. Vide & *Hor. Satyr.* 8.

Cocc. Sanh. c. 7. §. 7. *not.* 18. Vid. *Es.* VIII. 19. XXIX. 4. LXV. 4. Ad hanc μαντείας speciem commodè referri quoque possunt, quos ad *Planetarios* retulimus, nimirum exercentes χειρομαντείαν, *divinationem ex unguibus, vultu, speculis.* Mysticè in S. Scriptura per hos *consulentes* intelliguntur ii, qui aures præbent hominibus bis mortuis, qui similes sunt sepulcris dealbatis, imò quos Sacra Scriptura dicit habitare in loco, cui nomen ᾅδης; h. e. intelliguntur Judæi & Pontificii, iique omnes, qui fidem adhibent sacrificulis ταῖς ἁμαρτίαις νεκροῖς.

consulens mortuos, νεκρομάντης, *Divinus*, *evocans Spiritus damnatos*. Ejusmodi *Divini* consulunt Diabolum sub forma mortui. Memorabile exemplum est illud 1. *Sam.* XXVIII. 6. 8. ubi Rex *Saul* copias educens adversus Philistæos, Deo ipsi nec per *Urim*, nec per *somnia*, nec per *Prophetas* respondente, accedit *Sagam Hendori*, petitque *Samuelem* è mortuis excieat, quo doceatur eventum belli.

XVII. Hoc spectrum non fuisse *Samuelem*, (†*) facilè evincunt Doctorum rationes & testimonia. 1. Non enim verisimile est Deum, cui noluit respondere medio ordinario, voluisse dignari responso extraordinario. 2. Nec ullus *Diabolus*, nec ullus

(†*) Non pauci Patrum verum fuisse Samuelem censent. *Augustinus* fluctuare videtur. Et inter plures nostræ ætatis Doctos etiam *Cl. Vossius* idem asserit. Movet eos [1] quòd in tota ista historia nec impostoris ullius nec Diaboli mentio fiat, nec error, si quà esset, legentibus dematur; contrà verò Samuelis nomen sexies referatur. [2] Quòd nec hominis nec Diaboli ullius sit, accuratè adeò prædicere tùm exercitûs stragem, tùm necem Saulis triumque filiorum. [3] Quòd Saul, qui è terra Israëlitica exciderat quicquid necromantarum reperiebat, intimè absque dubio nôrit, quid esset mortuos consulere, temerè verò putârit, spiritum exciri posse, si totum negotium impostura perfici potuisset. [4] Quòd vix capi possit, Regem, qui, si quæ fuisset, impostura ignarus non potuisset esse, tantam fidem fœminæ habuisse, ut semianimis prociderit, & vix adigi se passus sit ad capiendum cibum. [5] Quòd *Siracides cap.* 46. testetur, *ipsum prophetasse post obdormitionem vs.* 20. [6] Quòd, uti verus *Moses* & *Elias* post mortem cum Christo in monte comparentes collocuti sunt, ita Dei permissu verus Samuel cum Saulo sermonem instituerit, etsi advocatus artibus magicis.

Landesbibliothek Oldenburg

ullus *Magus* potest turbare quietem vel corporum vel animarum eorum, qui moriuntur in Domino, *quiescunt enim â laboribus suis. Apoc.* XIV. 13. Denique 3. si *Samuel* fuisset, citra dubium invectus esset in *Saulem*, quòd consuleret *Incantatores Diabolicos.*

XVIII. VIII. Octavus est שׁאל מקלו (11) *Consulens baculum suum Hos.* IV. 12. *Hieronymus* ait, modum hujus *divinationis* ita fuisse, *Si dubium fuit, quænam*

(11) Hæc ῥαβδομαντεία usitata fuit antiquis nostris *Germanis*, *Scythis* & *Alanis*, qui sagittis sortem jecêre. Est tamen insuper alia βελομαντεία, scil. quâ bacillum antiqui in librum immisêre, *divinantes* ex eo, quod virgula monstrabat. Et hæc *divinatio* dicta est *Sortes Homericæ* & *Virgilianæ*; quum præprimis suis *divinationibus* hos libros seligerent. Ita sortienti *Augusto* ille *Virgilianus* versus imperium portendebat:

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

At ille versus *Gordiano*, qui imperium moderatus est tantùm per 36. dies, casum præmaturum dixit:

Ostendunt terris hunc tantùm fata, nec ultrà
Esse sinunt.

Eodem modo Chinenses etiamnum bacillum in librum divinandi causâ immittunt, vel duo parvula ligna ad pedes Idolorum projiciunt, attendentes, in quam illa partem se sint conversura, ut exinde, quid sibi obventurum sit, præsagium capiant. Forsan *Virga Aaronis*, reliquorumque Israëlis principum, ansam simile tentandi dedit Gentilibus. Vid. *Itinerarium Neuhofii* aliorumque. Ad hos *divinatores* pertinent omnes illi, qui abominando modo particulas ligni ex patibulo pro amuletis usurpant, aut qui tale quid in suis stabulis suspendunt, aut qui reliquias vetustate

nam urbs è duabus aut tribus sit oppugnanda priùs, ut hoc solvant, mittuntur sagittæ in pharetram, & commiscentur inscriptæ, sive signatæ nominibus singulorum, ut videatur cujus sagitta exeat, & quæ priùs civitas debeat oppugnari. Alii docent modum hujus consultationis sic habuisse: *Consulens, bacillum suum spithamis emetiens seu longitudine digitorum, dicebat inter mensurandum: Ibo, non ibo; faciam hoc, non faciam; & ratione ultimæ spithamæ, decrevit.* Hæc *divinatio* apud Gentes vocatur ῥαβδομαντεία vel βελομαντεία, *vaticinatio per sagittas aut virgas. Vid. Drus. in Deut. p. 592.*

XIX. IX. Nonus est רֹאֶה בְּכָבֵד (†) *Haruspex*, *Ezech.* XXI. 16. *Nebucadnezar*, infesto agmine in Judæos & Ammonitas moturus, hæsit in via, utros priùs aggrederetur; propterea que

1. *Sagit-*

vetustate exesas colunt. Hinc mysticè in S. Literis per tales *divinatores* intelliguntur ii, qui ligneas imagines adorant, ligneosque homines, h. e. *Bacillarios*, pro quo alii dicunt *Baccalaureos*, quibus potestatem loquendi fecerunt, *traditâ ipsis virgâ*, seu bacillo, *ut insigni potestatis indicandi*, seu docendi, & *pascendi*. Papa enim author est, ut *Doctoribus Juris Canonici*, cùm creantur, *bacilli* in manus tradantur. Vide sic sentientem *Coccejum* ad *Hos.* IV. 12. & *Lex.* voc. מקל.

(†) *Haruspex* sive *aruspex* dici putatur quia in *Ara inspicit exta*; hinc & *Varroni Extispex* vocatur, Græcis βωμόσκοπος. Sed potius componi videtur ex *Aries* vel *Arviga*, quæ est hostia quâ aries cæditur, & *spicio*, quia *Aries* solennis altaribus hostia. Aries verò antiquitus *Arvix* dicebatur, unda *arviga*. Asperum Spiritum posteriora secula vocalibus imo & consonantibus addere amarunt. Vid. *Voss. Etymol.*

Landesbibliothek Oldenburg

1. *Sagittis* & *bacillis*, de quibus jamjam diximus. 2. *Extis bestiarum* rei certitudinem experiri instituit. Hæc *divinatio* in genere recepta apud Gentes fuit, &, quoniam *hepar* præcipuum, & quod maximè attendebatur, membrum erat, dicebatur *extispicium*, ἡπατοσκοπία *inspectio jecoris*.

XX. Tria in hoc *divinationis* genere observabantur. 1. *Color* extorum, num omnia probo essent colore. 2. *Locus*, num ulla loco mota essent. 3. *Numerus*, num (12) ulla deficerent; inter illa, quæ deficiebant, *jecur* & *cor* deficiens præprimis sinistrum quid portendebat. Eodem die, quo confossus est *Julius Cæsar*, produnt Historiæ, in duobus pinguibus bubus, qui mactabantur, defecisse *cor*.

(12) Bonum omen prisca superstitio habuit, ubi exta duplicia apparerent, at triste, si penitùs deessent. *Julianus exta rimans, jecur duplici operimento vidit, lætumque eventum obtinuit. Amm. Marc. l.* 12. Vid. *Plin. Hist. nat. l.* 11. *c.* 37. *Plin. Secund. l.* 2. *ep.* 20. ait: *Adspice Regulum, qui ex paupere & tenui ad tantas opes per flagitia processit, ut ipse mihi dixerit, quum consuleret, quàm citò sestertium sexcenties impleturus esset, invenisse se exta duplicata, quibus portendi, millies & ducenties habiturum.*

MOSES

est, quia ad id *Collegium* nunquam electus est, nisi fuerit vir raræ & singularis sapientiæ. *Mos. Kots. in Sanhed.*

VII. Nota quoque, quòd utrumque *Collegium* coïverit, quoties res decidendæ, mixtæ h. e. *ceremoniales* partim, & partim *politicæ* erant, sicque partim ad *Ecclesiam*, partim ad *Rempublicam* spectabant. Quod quùm non observetur, Interpretes discrimen non faciunt inter illa *judicia*. Hæc utriusque *Consistorii* seu *Collegii* coïtio & conjunctio hinc inde in Euangelio occurrit, ubi dicuntur ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι congregati fuisse.

CAP. II.

De ipsorum Excommunicatione.

I. TRes (1) erant *excommunicationis* gradus.

II. I. Ἀποσυναγωγή *ejectio ex Synagoga*, *Joh.* IX. 22. à Judæis dicitur נדוי *Niddui*,

Pontifex. Licèt quoque illi verum dicant, qui rationem adducunt corruptos illius temporis mores, quo *Reges* & *Præsides* Judæorum sordidâ sacrâque auri fame sacrum hoc officium pro lubitu contulerint non piissimis, sed pessimis; non doctissimis, sed ditissimis, rursusque abstulerint pro re nata.

(1) Cel. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. *§.* 9. *not.* 5. ait: *Faciunt quidam tertium gradum anathematis* שמתא, *in qua sententia reperio apud Ebræos esse Eliam & Davidem de Pomis. Et sunt fortè plures, ut Gerson ille, qui per* נחש *vetat epistolas ab alieno aperiri. Sed locum, quo id probetur, proferri non video. Maimonides ultra* חרם *non progreditur.*